Ludovici Holbergii

Lib. Baronis de Holberg

EPIGRAMMATUM

Libri Septem.

Nidarosiæ MDCCCLXIII.

Sumptibus Viduæ Andersen.

Typis expresserunt Brøgger & Christie. Christianiæ.

Ludovici Holbergii

Lib. Baronis de Holberg

EPIGRAMMATUM

Libri Septem.

Fasciculus prior.

Nidarosiæ MDCCCLXII.

Sumptibus Viduæ Andersen.

TYPIS EXPRESSERUNT BRØGGER & CHRISTIE. CHRISTIANIÆ.

Præfatio autoris ad V priores epigrammatum libros, editos MDCCXXXVII.

Post edita diversa specimina in festivo et joculari isto scribendi genere, quod popularium haud levem mihi favorem peperit, cumque non absque voluptate quadam manibus eorundem teri viderem satyras et fabulas et poemata, quorum conspectum exhibui in præcedentibus epistolis, statui horis subsicivis fallendi temporis gratia et epigrammata quædam latine conari, visurus, quid in isto scribendi genere auxilii a Musis expectari posset. Eo intuitu condita sunt disticha nonnulla, quæ cum haud spernenda visa sint amico, cui dedi legenda, intermissum jam dudum impetum resumere ac in conamine persistere jubent. At, dum ita fallendi temporis gratia illudo chartis, haud advertenti ad istam, quam vides molem, creverunt. Dubius tamen diu eram, an ederem, præsertim cum ob turbas istas ac procellas, quas cierunt fabellæ ac carmina aculeata, nuntium his Musis mittere jam dudum decreveram. At hæsitationem istam expugnarunt amici, qui, perlecto integro opere, delectare potius ac instruere, quam pungere epigrammata mea judicarunt. Horum judiciis fretus, bibliopolæ duobus abhinc annis novam editionem epistolæ meæ molienti carmina hæc dedi edenda.

Non deerunt, qui et hos meos conatus oblique interpretentur; at spero quoque non defuturos, qui aliter judicabunt, præsertim cum e continuatione laborum eorum tandem animadverterint, qualis sit animus scribentis, et cur

tot molestiæ subeantur, nempe eum solum in finem, ut specimina dentur operum quorundam imprimis elegantiorum, quorum defectum objicere nobis solitæ sunt vicinæ gentes, et ut habeat patria, quo crisi huic obviam eatur.

Et sane hic fuit unicus scribendi scopus; nam peregrinationibus meis defunctus, cum animadverterim inter tot egregios poetas, quos septentrio noster produxit, nemini in mentem venisse comicum aliquod poema fingere, statui ad exemplum aliarum gentium in ea scribendi arte memet experiri, et conditum est a me notissimum istud poema Heroico-Comicum, cujus mentio fit in epistola. Successus hujus operis ad alios defectus supplendos et ad nova exhibenda specimina me acuit. Hinc satyræ, mox comœdiæ a me elaboratæ prodierunt. Porro, cum studium juris naturæ plerisque ignotum viderem, etiam hanc inopiam sublevare aggressus, systema quoddam juris naturæ et gentium Danico idiomate exaravi. Eodem etiam intuitu conditum est opus istud, quod statum civilem et ecclesiasticum utriusque regni complectitur. Imperfecta et confusa erat historia Daniæ, restabant lacunæ supplendæ et suppletæ a me quodammodo sunt edita nuper historia Danica in tria volumina descripta, Iisdem stimulis excitor ad scribendam historiam ecclesiasticam, cum nil præter steriles quosdam annales heic editum constet.

Hinc continuati istius laboris verus scopus omnibus tandem innotuit, et ringi cessarunt censores mei, cum viderint, non ex petulantia et lascivia profluere tot scripta jocularia, sed indolem potius ac ingenium me argumento accomodare, ex. gr. nugari et sales effundere in operibus, quæ nugas ac sales poscunt, severo vero ac atroci stylo uti; quando rei scribendæ lex et necessitas ita jubet.

Et cum hæc ita sint comparata, erubescere debent ii, qui conamina mea toties sufflaminare aggressi sunt; et apud posteros male forsitan audient, qui viro de patria bene mereri cupienti tot molestias exhibuerunt et adhuc exhibent.

Quod novissimum hoc opus spectat, testor nullius autoritate aut consilio impelli me potuisse ad epigrammata aculeata edenda. Sed, cum potior eorundem pars jam aliquot abhinc annis elaborata sit, non tam scribo, quam olim scripta, ne pereant, edo. Fateor nobis non defuisse epigrammatum scriptores. Instar omnium mihi est noster Harderus, quem ipsi Oweno ob acumina, sales et elegantiam styli præferre non dubitavi. Sed paucula tantum istius autoris in eo genere extant epigrammata, plurima enim panegyrica sunt, licet tanta arte ac Venere concinnata, ut inimitabilia mihi fere videantur. Idem dicendum de reliquis nostris poetis latinis, quos junctim duobus voluminibus edidit illustrissimus et doctissimus Fridericus Rostgaard, cui ob servatos tot cives, qui alias forsitan periissent, civica corona debetur.

Epigrammata, quæ heic sistuntur, ad tres classes referri possunt: vel mere nugatoria sunt, vel dentata, vel philosophica. Prævalet numerus horum, quæ maximam partem paradoxa sunt, licet nugis et salibus intermixta, adeo ut jucunda acoribus et seria nugis sint condita, prout in cœna rite instruenda dulcibus cibis acres acutique miscentur, ut obtusus illis oblitusque stomachus his excitetur. Rogo proinde, ut materiæ potius attendat lector quam stylo, qui forsitan humilis nimis et depressus quibusdam videbitur. Sufficit, si judicet carmina mea perspicua, salsa, festiva et doctrinalia. Nam tantæ est molis epigrammata rite scribere, ut inter tot epigrammatum scriptores vix tres vel quatuor videamus, quorum opera permanentia sint et hodie legantur. Hinc si rem tam arduam haut satis prospere tentaverim, sat mihi erit tentasse, sat erit, si judices, Lector, nobili me conamine ad ardua tendentem magnis excidisse ausis.

Fateor in opere isto sparsos esse sales nonnullos, qui displicebunt iis, quorum severæ aures facetiis offendi solent. At in tanto epigrammatum numero vix quatuor vel quinque reperiuntur, quæ ad hanc classem referri poterunt, et quæ

paulo liberiora videntur, excusari possunt exemplis gravissimorum virorum, qui majori libertate usi sunt. Omnium manibus feruntur Oweni epigrammata, nonnumquam in ipsis scholis juventuti explicantur, cum tamen haud pauca sint, quæ extra limites a severis Catonibus positos vagentur. Nimia in scriptis jocularibus castitas ac severitas interdum sterilitatis nomen accipit. Hinc quod de oratore seculi sui dixit Plinius: *Nihil peccat, nisi quod nihil peccat*, de poetis aptius dicendum. Porro vocum naturalium simplex mentio non est obscena. Obscenum est quod bonis moribus convicium facit ac ad libidinem stimulat aliasque pravas voluptates, quibus tam scriptis quam vita et moribus obicem ponere semper conatus sum.

Liber primus.

1. In Olum sordide avarum.

Hei! quales sordes! rimosas negligis ædes,
Donec tota domus labitur in dominum.
Sumtibus ut parcas, misere consumeris ipse:
Olus inops moritur, ne minuantur opes.

2. Epitaphium Tordenschioldi.

Conditur hac urna Borealis gloria Ponti,
Danorum plausus deliciæque breves,
Ferrea quem Lachesis raptum florentibus annis,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

3. Epitaphium desidiosi hominis.

Jam vere dormit situs hoc sub marmore Drusus;
Viventem & tenuit somnus et alta quies.
Si numeres noctes quot vixit, Nestora dicas;
Verum res gestas si numeres, juvenem.

4. In Fabullum somnolentum judicem.

Justitiam cæcam commendat sæpe Fabullus:
Hinc jus dicentem stertere sæpe vides.

5. In Cæcilianum.

Quis non miratur doctrinam Cæciliani?
Quid mare, quid tellus scit, quid & æther habet.
Et noscit quicquid Saturnia cum Jove garrit.
At nescit noctes conjugis ille suæ.

6. In Sextum tituli avidum.

Quadrans, Sexte, tibi superest ex asse paterno;
Hoc emitur tituli gloria vana tibi.
Augusti, simul angusti tibi sunto penates;
Nam famam captans, emoriere fame.

7. Ad Faustum de inæquali scribentium sorte.

Libros cum scribo, sed tu tria disticha ructas,
Munera, Fauste, capis, munera nulla fero.
Quæ fingis, fiunt thuris, piperisque cuculli,
At mea post cineres carmina scripta manent.
Cur tibi, qvi stulte scribis, tot præmia dantur?
Utile qui scribo, præmia nulla mihi?
Nempe datur merces, ne pergas scribere plura;
Scribere ne cessem, spes mihi sola datur.

8. In philosophum, qui scribendo ditescit. Ad Posthumum.

Contra divitias scribens, si vendere pergas
Care adeo chartas, Posthume, dives eris.

9. In geminos Fratres ejusdem nominis.

Est cornutorum mira heic concordia fratrum.
Concordant forma, moribus, ingenio.
Est ætas eadem, nomen commune, vocantur
Ambo Cornuti, cornua et ambo gerunt.

10. Comparatio Marci Curtii Herois Romani cum Heroe nostro Curtio Adelaer.

Curtius antiquus celebratur in orbe latino;
Ast is, quem celebrat Dania, major erat.
Illum pro patria semel occubuisse fatemur,
Sæpius hunc scimus non timuisse mori.
Est magnus, facili redimit qui sanguine famam,
Major, laudari qui sine morte potest.

11. In Tordenschioldum, qui post tot egregia facinora singulari certamine ab aleatore interfectus est.

Armis desperans Tornskioldum vincere livor
Invictum bello provocat aleola.

Quamque animam vi non est ausa lacessere, furtim
  Athletæ insidiis elicuit Lachesis.

12. Consilium ad amicum, qui nauseantem stomachum habet.

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
  Finge tibi virides: lumina claude tua.

13. Aliud ad amicum, qui ægre fert neglecto se, alios honorum titulis ornari.

Cum, te neglecto, titulis ornentur amici,
  Finge tibi tua sit dextra sinistra manus.

14. Aliud in Tordenschioldum.

Lusibus exponens vitam terraque marique,
  Tandem lusoris tollitur ipse dolo.

15. In Olum negotiorum gestorem, qui per ancillas aditum ad patronos facere tentat.

Nuper in hanc urbem venit Olus sollicitator,
  Per famulas ad heros is sibi pandit iter.
Hinc felix simul infelix mandata peregit.
  Effecta, infecta re, redit ille domum.

16. In eos, qui propria vitia in aliis notant.

Nonne pudet nimio venas inflare meraco?
  Sæpius exclamans, ebrius ipse cadis.
Tute bibax cum sis, cur damnas, Sexte, bibaces?
  Vinososne notas, solus ut ipse bibas?

17. In servum, qui semper negat herum esse domi.

Esse negas intus dominum, cum limina pulso,
  At video faciem; non tamen intus erit.
Mirum erit esse foris corpus, cum sit caput intus.
  Secum, quæso, jube, ducere, Dave, caput.

18. In †† qui aliquot abbinc annis Hafniæ se ipsum castravit.

Arma, virumque cano, Boreæ qui primus in oris,
  Delicias ferro demetit ipse suas.
Musa mihi causas memora, quæ læsa puella
  Criminis infandi fons et origo fuit.

Ast cum *) muta siles, versum concludere malo,
Quam Musa invita dicere facta viri,
Infandumque, puella, tibi renovare dolorem;
Musarum fastis atra sit ista dies.

*) Fingitur heic Musa rubore suffusa tacere, cum in re adeo obscena castissimæ Nymphæ opem implorat Poeta.

19. Ad Sextum de Sabino Polyhistore.

Sollicite poscis, describam, Sexte, Sabinum,
Munera quæ exercet, quod studiumque viri.
Quæris cur se ipsum semper *pro tempore* scribit.
Id faciat cum fert temporis ipse vices.
Nam cum sit fluxum semperque volubile tempus,
Sic nihil est illo, Sexte, volubilius,
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schœnobates, Histrio, Leno, Faber.
Tandem vera viri paucis ut constet imago,
Non Polyhistor erit, sed Polyhistrio erit.

20. In Poetum, qui in Senatu semper habet tria suffragia.

In nostro tria fers suffragia, Poete, Senatu,
Qvando inter Flaccum Cæciliumqve sedes.
Suppliciter rogat hic, quid sis dicturus, et ille
Simpliciter reddit verba sonumqve tuum.

21. Splendidum Melibœi Epitaphium.

Dormit in hocce loco Melibœus; dicere possum
Vix aliud, quam quod dormiat hocce loco.

22. In Hannib. Sehested, qui dicitur in opere Venereo mortuus.

Cum decet Heroem stantem armatumque perire,
Mortuus hic (vati si qua fides) equitans.
Per niveas equitans vetus et novus Hannibal Alpes,
Ille oculum, hic animam perdidit inter opus.

23. In scriptorem Novellarum.

Falsi convictus do dignas crimine poenas.
Præmia tu tollis; non sumus ergo pares.
Forsitan impune es tu mendax, verum ego plector,
Quod semper fallis, quodque ego fallo semel.

24. Ad eos, qui linguam patriam contemnunt.

Cum linguam patriæ spernis, consumere fruges
Non dedignaris, quos generare solet.

25. In malos poetas et oratores panegyricos.

Nullus Alexander, si nullus Curtius, esset.
Patrantur cædes, has quia scripta probant.
Gallorum regem magnum patriæque et parentem,
Gutturibus raucis Gallia docta canit.
Quot strages hominum, tot sunt præconia laudum,
Et truculenta facit pectora laudis amor.
Ut cesset pestis, primum suspende poetas,
Tolle oratores, nulla tyrannis erit.

26. Vera præconia meretur pietas Friderici Quarti, cum anno MDCCXXI, ducentas quadraginta scholas fundaret.

Est nihil in Cyri, nihil est in Cæsaris actis,
Quod facto opponam, Rex Friderice, tuo.
Dum numerant alii tua splendida bellica gesta,
Dumque canunt palmas, templa scholasque cano.

27. Scopum studiorum suorum declarat Poeta. Ad Olum.

Cur the nocturnis juvat impallescere chartis?
Aut tibi viventi nomen inane petis;
Aut vis post obitum tua pallida vivat imago;
At nil tale oculis ponitur, Ole, meis.
Invidiam vivo pariunt, non præmia, libri.
Post mortem cineri gloria sera venit.
Ergo cur studeo, si quæris, causa studendi est
Ipsis in studiis; ut studeam, studeo.

28. Poeta comparat vatem satyricum cum Dionysio Siciliæ Tyranno.

Intonsus semper vixit Dionysius olim:
Tonsores timuit, causa tyrannis erat.
Falci tonsoris metuis committere barbam,
Acres quod duro spargis ab ore sales.
Omnibus invisi sunt vates atque tyrannus;
Namque bonos timet hic, at timet ille malos.

29. De Sosibiano.

Sosibianus heri misit sua carmina sacra,
 Judicioque eadem subjicit ille meo.
„*Eloquar an sileam,*“ sic coeperat is modulari.
 Perlegi, scripsi, Sosibiane, *sile!*

30. Aliquot abhinc annis in judicium vocatus fuit derisor, quod barbam viri venerabilis per ludibrium caprinam vocaverat.

Fervida abhinc annis aliquot contentio nata est.
 Causa fuit rixæ barba caprina viri.
Læsus risori litem mox inde movebat.
 Finita causa, barba resecta fuit.
Haud aliter castella gravis sunt semina belli,
 Finito bello dejiciuntur ea.

31. Jus Romanum dicit, srrvum non posse capite, id est, existimatione diminui, quia servus nullum habet caput i. e. nullam habet existimationem.

Esse caput nullum servis civilia jura
 Dicunt, at capite hi crimina sæpe luunt.

32. De milite sub ponte se ipsum suspendente.

Pertæsus vitæ miles laqueo sibi vitam
 Sub ponte eripuit; quid mage ridiculum?
Curne undas petiit? voluit monstrare scelestus,
 Non casu, at dextra se periisse sua.

NB. Nam si in aquam se præcipitasset, potuisset credi honeste vel casu mortuus; hinc quasi omnem dubitationem de scelerata morte ademptururus, laqueo sub ponte fauces fregit.

Aliud.

Ut monstret, quanta est in nautam militis ira.
 Interitu sicco maluit hicce mori.

33. In Lalagen, quæ heroice passa est pedem resecari. Ad Sextum.

Forti animo sibi passa pedem Lalage resecari,
 Nam cum gestetur, non pedibus sit opus.

Quosne daret gemitus? quæ non suspiria? Sexte,
Articulo digiti si mutilata foret.
Quippe opus est manibus, si gestit ludere chartis,
Alea si pernox est jacienda procis;
Est opus et manibus Lalagi, si scribet amanti.
Hinc jactura pedis credita sæpe minor.

34. In Poetum, qui titulo tantum judex est. Artificium epigrammatis est in duplici sensu vocis judicii.

Miraris Poetum cum doctor sit sine libris,
Tu vero judex es sine judicio.

35. Jn Flaccum senem tituli captatorem.

Jam senio calvus vult Flaccus nobilitari.
Post obitum sera est calvaque nobilitas.

36. Consilium ad amicum, ut gradatim eat, si in uno studio Magisterium acquirere velit.

In studiis si proficies, juvet ire gradatim;
Discipulus primum, deinde Magister eris.
Istud iter gressum memini medicum Theodorum;
Ille diu lanio, postea doctor erat.

37. In Hannibalem Sehested, Heroem vigilantissimum, qui eo nomine comparatur cum Hannibale Poeno. Ad Olum.

Impiger ac volitans ipso velocior igne
Hannibal hic Poeno vix erat inferior.
Mobile perpetuum Dani reperisse putantur.
Cursus vita viri, mors eqvitatio erat.
vid. Epigr. 22.

38. Ad Papilum.

Quod medicus Prætor sit factus, Papile, rides.
Ægrotat misere publica justitia.

39. De tonsore Melibœo ad Faustinum.

Nuper pastor erat, sed jam tonsor Melibœus.
Quod fecit pastor, jam quoque tonsor agit.
Namque tuos, fratrisque tui, Faustine, capillos
Dum tondet, pecorum vellera tondet adhuc.

40. De Aquino, qui a lanione scriba factus.

Nuper erat lanio, jam scriba est factus Aquinus.
  Assolet hinc scribens dente tenere stylum.
Olim sic cultrum tepidum atque cruore madentem.
  Quod fecit Lanio, jam quoque Scriba facit.

41. In Leonoram, quæ gravida facta juravit Prætori, a mare se intactam.

Jurabat fœtu prægnans Leonora puella,
  Non minimo digito se tetigisse marem.
Res ad Prætorem delata est; sæpe rogata,
  Cum testetur idem, Prætor Anytus ait:
Commenta est dignum Thebano ænigmate monstrum.
  Hic ubi vir non est, ut sit adulterium!
Subridens patri tunc dixit gnata decennis:
  Hoc, pater, ut fiat non digito sit opus.

42. Ad Quinctum de Poeto iniquo censore librorum.

Cum libros Poetus censura vexat iniqua,
  Cumque notat, rodit carmina sæpe tua.
Quæris quid facies? tu pergas scribere, Quincte,
  Donec eum rumpant livor et invidia.

43. In Artemidorum statuarium.

Cur stupidos gnatos semper facit Artemidorus?
  Non mirum, statuas sic facit ille suas.

44. De Nilla, uxore Papili, quæ comparatur cum fluvio Nilo, cum et illa septemflua sit.

Nilus ut Ægypti dives facit ostia septem,
  Labitur in totidem, Papile, Nilla tua.
Stillat enim nasus, madidi rorantur ocelli,
  Sudat planta pedis, sudat et uda manus.
Cernis perpetua rorantia labra saliva.
  Cætera quæ manant, ostia mitto silens.
Dicenda est igitur merito septemflua Nilla,
  Cum fluvio Nilo nomen et omen habens.
At distant uno: Nam fontem quærere Nillæ
  Non molis tantæ est, omnibus ille patet.

NB. Nilla est nomen vulgare apud nos.

45. De poeta Claudio, qui anserem vicini surripuit.

Anseris amissi jacturam plorat Anytus;
  Hunc furtim pauper nocte poeta rapit.
Mox domino servus quærenti mussat in aurem:
  Si quœris gansam, Claudius autor habet.
    NB. alluditur ad tritum illud:
Si quæris gansam, Plinius autor habet.

46. De licentia poetica.

In jus deprensum mœchum rapit Anna maritum;
  Hic, cum sit vates, excipit omne forum.
Effatur judex, dicitque: licentia vatum
  Mitigat erratum; liberat inde reum.

47. In Mœviam, cujus fortem in adversis animum tandem fregit jactura catellœ.

Fortunæ adversæ victrix patientia nota est,
  Fortiter edocta es tristia posse pati.
Jacturam gnatæ Spartano pectore passa es,
  Dilecti fratris mors neque moesta fuit.
Fortiter amborum vidisti busta parentum,
  Siccis tuque oculis aspicis ossa viri.
Ast animum fregit tandem jactura catellæ,
  Quam gemitu dignam, Mævia, nemo negat.
At noli tenerum pugnis contundere pectus;
  Vivat ob id solum Mævia, ut ossa colat.
    NB. ut ossa et cinerem catellæ colat.

48. In Faustinum.

Undis Faustinus periturus currit ad amnem,
  Pileolum properans fit memor esse domi.
Hinc celerem sistit cursum, subitoque revertit,
  Pileolum quærens anxietate suum.
At dum scrutatur demens, abit ira, redit mens;
  Quærens pileolum repperit ille caput *).
    *) ad se rediit.

49. Ad sextum de amore Lycoridis.

Amplexus servi quid amat matrona Lycoris?
  Sæpe flagella, cruces, stigmata, lora placent.

50. Aliud de Nævia.

Quæris, quare adeo fastidit Nævia Poetum?
Hunc, quia nobilis est, nauseat illa virum.

51. Vera significatio vocis imprimatur, *qua Epithalamia signant censores librorum.*

Imprime cum scribit signando carmina censor,
In sponsam pleni dat veniam imperii.

52. De Dameta.

Ægrotus ni sit Dametas, non bibit; at cum
Continue ægrotat, continue ergo bibit.

53. Cur dicitur Flaccus columna senatus.

Vere dicendus sis, Flacce, columna senatus;
Debetur muto nominis hocce decus.

54.

Ægrotans mecum Davus, prius ille resurgit;
Hunc morbus, medicus me simul arte premit.

55. Epitaphium uxoris Faustini.

Scribæ Faustini jacet hoc sub marmore conjux;
Publicus hic scriba est, publica et illa fuit.

56.

Quî Fabius consul differt a consule Paulo?
Nobilis est novus hic; priscus honestus erat.

NB. Consulum titulus olim erat vir dignus et honestus, hodie est vir nobilissimus.

57. Multitudo medentium ægrotum sæpe perdit. Ad Artemonem.

Non tibi tot medicis opus est, nam sufficit unus.
Solus mille animas misit ad astra Linus.
Forsitan, Artemon, optas heroice obire:
A multis perimi gloria major erit.

58. In magistrum, qui matronam, Fabullam in rebus ad statum republicæ pertinentibus instruit.

Publica dictantem præcepta Fabulla magistrum
Audivit, donec publica facta fuit.

59.

Mensurus famulæ crepidas crepidarius Otto
Applicuit genibus virginis ille manum.
Hinc tonat et fulmen mittit castissima virgo.
Non ultra crepidas, sordide Sutor, eas.

60.

Cur fœdos gnatos, statuas facit Afer amœnas?
Illos per famulos, ipsus at hasce facit.

61. In malos libros.

Vilius hic libros, qvam vendis, Sexte, papyrum;
Nam maculis melior pura papyrus erit.

62. Ad Ponticum.

Sequana jam pridem fluvius defluxit in Albim
Et linguam et mores, Pontice, vexit eo.
Moribus imbuitur peregrinis stulta juventus;
Cum patria patrium spernitur ante nuces.

63. In Capionem Tigellium nostrum, cujus imaginem sibi exhiberi petit Posthumus.

Vis tibi describam curatius hic Capionem.
Nostra nequit tantum pingere penna virum.
Omnis homo Capio, mercator et archimagirus,
Coctor, decoctor, lenoque, caupo, faber.
Alternis vicibus modo pauper erat modo dives,
Creditor hic cunctis, debitor ille simul.
Fidus amicus erat, sed rursus erat malefidus;
Quæ posuit juvenis cornua, calvus habet.

64.

Olim mœchus erat, nunc est dialecticus Afer,
Distinguendi artes jam docet, ut docuit.

65. In Olum, qui peccat ante preces, ut eo ardentius precetur.

Molliat ut veris lacrymis cor numinis Olus,
Cædit, mæchatur, diripit ante preces.

66. Testimonium Aristonis.

Furatur, fallit, bibit ac mœchatur Aristo,
Et simul in precibus tempora certa locat.

67. In Fabullam, quæ pudicitiam in propatulo habebat, licet titulum Virginis gesserit.

Omne tulit punctum, dum vixit pulchra Fabulla,
Hic expuncta hominum classe, sepulta jacet.

68. Cur vitam barbaram egisse dicitur Marcus philosophus.

Disseris in Barbra, ludis cum Barbara amica,
Barbam alis, Hei! qualis quantaque Barbaries!

69. Ænigma ad Sextum.

Indocilem Seliam docilem qui reddidit Afer?
Qui bene distinguit, non male, Sexte, docet.

70. In rhetorem Amyntam pituita laborantem.

Solicite quæris quid agit jam rhetor Amyntas.
Tussit, nugatur fortiter, utque solet.
Alternis vicibus sputat, male disputat, et sic
Alternis cathedram polluit atqve forum.

71. Ad Sextum.

Fœnore ditescis, Venere at mater tua crescit.
Æris tu, femoris quæstibus illa viget.

72. In Storacem Tonsorem loquacem.

Guttura nostra, Storax, tua sæva novacula radit;
Pectora sed rodit plus tua garrulitas.

73. Cur medicus optimus civitatis censor est. Ad Sextum e medico in censorem urbis transformatum.

Urbis te medicum censorem, Sexte, saluto.
Urbis te morbos noscere, Sexte, puto,
Nam qui perspexit vitia usque ad viscera popli,
Scit morbos gentis, quid populusque valet.

74. Cur medici nostri Zytopœos, sive cerevisiæ coctores adeo colunt.

Quæritur, unde colunt coctores turba medentum;
Egregiam praxin dat cerevisia *) iis.

*) insalubris Zythi potio praxin medicorum augit.

Nullus doctor enim, si nullus coctor in urbe.
Mors Zythi, medici mors erit atqve sitis.

75. In Linum juris consultum, qui olim astronomiæ operam dedit.

Jam colit Astræam, nuper Linus Astra colebat.

76. Quod Deus non creat.

Præter Romanum Papam Deus omnia format.
Presbyteri *) Papam, Numina Papa facit.

*) Cardinales.

77.

Chymicus est pauper, licet aurum ex stercore formet;
Ditescunt medici, stercora qui eliciunt.

78.

Astronomus nuper litem formare colono
Audet de fundo, judicioque cadit.
Effatur judex! terras ait esse coloni,
Astronomus cœlum curet et astra colat.

79. In astronomum Leonem, qui pectori amicæ applicitus inter mamillas obiit.

Virginis in signo moritur Leo fidus amator,
Dum via tentatur lactea Cæciliæ.

80. Ad Sextum.

Ne nimio gnatæ mortem comitere dolore;
Amens, Sexte, furis, non cruciaris amans.

81. Triplex convertendi modus.

Vincitur hæreticus verbis, fanaticus herbis:
Impius at solis non nisi verberibus.

82. In Olum ardentem generis humani censorem.

Sæpe coquis urbis sine causa irascitur Afer,
Quod vitium stomachi est, imputat ille cibis.

In genus humanum sine causa armatur Amyntas.
Ægra ac saucia mens putrida cuncta putat.
Sic nutant ædes temulento ac tecta vacillant:
Febricitans spectris omnia plena videt.
Hinc vitiis hominum quoties minitabere bellum,
Corrigito vitium sanguinis ipse tui.
Ridiculus sane est zelus, quem sectio venæ,
Quem pilulæ purgant, quem medicina levat.

83. Paradoxon. Nullos dari felicitatis gradus.

Humanæ sortis non tanta est, quanta videtur
Disparitas; Felix nemo vocandus erit.
Non re, sed titulo differt a paupere dives,
Sanus ab ægroto, servus ab ingenuo.
Non semper læte cœnant quibus omnia lauta,
Dantque dapes lautæ tædia sæpe cibi.
Tot res impositas mensis, tot fercula pauper
Non videt, at quicquid cernitur, omne placet.
His epulæ desunt, illis dulcedo epularum:
Copia, defectus, par sit utrique malum.
Langvida mortales perdunt jejunia multos,
At rabida ingluvies corpora plura necat.
Ignorat validus corpus mentemque valere;
Nulla huic ægra dies, lætaque nulla simul.
Febricitans æstu cessante ovat atque triumphat,
Albas atque atras computat ille dies.
Flagris succumbunt servi, proceres perimuntur
Voce vel intuitu principis ore gravis.
Verba magis cruciant dominos, quam verbera fures;
His scapulæ, ast illis mens gemebunda dolet.
Conditio atque status sic differt nomine, non re,
Sorteque contentum quemlibet esse decet.

84. Ad Afrum.

Quicquid ad ornatum facis Afer, quicquid ad usum,
Excipitur sannis, ni bene tale facis.

At nota non eadem factum perstringit utrumque;
Hoc grave, sed gravius censor id esse putet.
Auctor *) scribendo, dicendo cespitat actor **);
Hic veniam, crimen sæpius ille ferat.
Res facienda quidem ridetur; sponte peracta
Censorum est atræ subjicienda notæ.
Apposite hinc Flaccus: mediocribus esse poetis
Nec Di concedunt, nec patiatur homo.

*) Sc. qui injussus scribit. **) necessitate adactus.

85. In medicum Calliodorum, qui in plerisque morbis opium adhibet.

Dat Gallenus opes, opium dat Calliodorus.

86. Cur mysteria, in quibus cæcutiunt docti, perspecta habeant tyrones ac semidocti.

Cur latet artifices artis mysteria nosse,
Cum tamen ignaris singula quæque patent?
Spissas agnoscunt medici tenebras medicinæ,
Pharmacopola sibi cognita cuncta putat.
Mobile perpetuum geometras fortiter angit,
Audacter jactat se reperisse faber.
Astronomos fugiunt orti solisque cadentis
Stellæ, nauta polos quattuor esse videt.
Causa hæc est, illi penetrando in viscera rerum,
Sæpe rei cum re vincula cæca vident.
Hique superficiem solam tangendo, meatus
Internos nequeunt cernere difficiles.

87. In mortem heroicam Comitis de Plelo.

Martem cum Musis sociari pectore in uno,
Herois Plelo vita obitusque docent.
Vitam si spectes, visus coluisse Minervam;
Mortem si spectes, Martis alumnus erat.
Materia hinc dabitur laudantibus æqua poetis,
Sive toga clarum, seu canere arma velint.

88. In Trapezitam olim philosophiæ cultorem.

Olim librorum, librarum ast heluo nunc es.
Nunc Plutus colitur, tunc Plato numen erat.

89. In cornutum, qui filiam nuper natam voluit Fortunam vocari.

Fortunæ nomen gnatæ, cornute, dedisti,
Nempe ut monstrares fortuito genitam;
Aut ostensurus, verum non esse quod ajunt,
Fortunæ fabrum quemlibet esse suæ.

90. De fatis Theodori in utroque conjugio.

Defunctæ uxoris servus, Theodore, fuisti.
Vivæ non servus, sed quoqve cervus eris *).

*) Cornutus.

91. In consulem Flaccum.

Consulis officium per quattuor integra lustra
Implevit mira sedulitate Linus.
Pauper erat, moriens tria prædia magna reliquit,
Id quod monstrat eum consuluisse sibi.

92.

Tu mecum sentis, verum assentis mihi nunquam,
Quodque probas, reprobas, si modo et ipse probem.
Hinc tibi non opus est post me suffragia ferre;
Me dicente, tuum *) novimus oppositum.

*) Suffragium.

93. Cur Mævius dicitur homo nullius judicii.

Mævius ad causam dicendam jure vocatus,
Ob varios titulos excipit omne forum.
Aulicus est, miles, studiosus, scriba, senator,
Nullius sic est hic homo judicii.

94. Ad Sextum.

Objicis ingenii tenuem mihi, Sexte, vigorem;
Ingenium fateor pingvius esse tuum.

95. In musicum morosum.

Concordare facit chordas, citharasque, fidesque
Faustinus, discors est tamen omne domi.

96. De moribus seculi. Ad Papilum studiosum.

Si vis esse aliquid, si captes, Papile, honores,
Linque vias solitas oppositasque cape.

Duras dat spinas, non præmia docta Minerva.
  Virtuti esse solet pervia nulla via.
Est tibi verus amor patriæ, tibi cultus honesti,
  Vera tibi virtus, eximiumque decus.
At nudas tantum hæc pariunt conamina laudes;
  Præmia si speres, hanc variato viam.
Nulli namque magis titulis fraudantur honorum,
  Qvam qui se dignos sedulitate probant.
Conjurant omnes in virtutem; quot honores
  Emereare, odii tot tibi semina erunt.
Contra humeris populi segnes tolluntur in altum;
  Bardis ac stupidis omnia in orbe patent.
His faveant omnes, nemo invidet; hinc tibi suasor,
  Tramite deflectas de solito atqve via.
Mutentur mores, sint desidis otia vitæ.
  Nil disce, aut jura, te didicisse nihil.
Sentes ac spinas vertes in serta, corollas,
  Succedent odio præmia, laus, et honor.
Hæc moneo si vis emergere; nomine honesti
  Nudo at contento semita eunda vetus.

97. De temporaria Judæorum conversione.

Conversum intueor Judæum indusium ut album;
  Sordibus hoc subito tingitur atque notis;
Cumque novo commutandum tandem abjiciatur,
  Quando dies aderit septimus hebdomadis.

98. In stultitiam et superbiam eorum, qui ex proprio judicio et recta, quam vocant, ratione, posthabitis legibus sive arbitris, rem judicare volunt.

Si cupis, ut ratio dicat pro judice jura,
  In propria causa, dura et iniqva cupis.
Est ac si in ludis vis ut chartæ dominantes
  Sint illæ, quarum copia magna tibi.
Nam ratio, quæ recta tibi, perversa videtur
  Sæpe aliis. Hinc lex arbitra sola siet.

99. De vera et affectata morum gravitate.

Aut est vera viri gravitas, aut est simulata;
   Posterior stolida est, pulcra et honesta prior.
Illa rati similis, quæ tarde incedit onusta
   Divitiis terræ, divitiisqve maris.
Hæc similis cymbæ, quæ incedit onusta saburra,
   Ne subvertatur, si sine pondere eat.

100.

Nos, quid sit deus, haud comprendere mente valemus.
   Solo ex effectu novimus esse Deum.
Ignis sic formam nequeat cognoscere cæcus;
   Scit tamen esse ignem, corpora quando fovet.

101. Ad Janum metaphysicum.

O! te felicem, cui rerum noscere causas
   Soli, Jane, datur, cui nihil abditum erit.
Quæ non concipiunt aulæ cœlestis alumni,
   Perspicis ingenii dexteritate tui.
Spirituum nosti naturam vimqve animarum;
   Scimus enim penitus cuncta patere tibi.
Ipsa Dei virtus ac mira essentia nota est,
   Rebus et occultis congrua nomina das.
Scribis, describis, distinguis, cunctaque pingis
   Ingenio miro Dædaleaque manu.
Restat at a studio tanto si quid datur otî,
   Ipsum te studeas noscere, Jane, parum.
Lumina acuta simul quæso ad trivialia flecte;
   Ne, quæ aliis pateant, sola tibi lateant.
Hoc pacto Jani titulo mactere bifrontis,
   Atque mihi verus, Jane, magister eris.

102. In impœnitentes, qui sacramentis assiduo abutuntur.

Ter, quater ad cœnas sacras accedis in annum,
   Cumque deo fœdus terqve quaterque novas.
Idem at quando manes, quid erit nisi te violare
   Monstres uno anno fœdera velle quater.

103. An fides non sit servanda hæretico ob personæ vitium.

Si vitium sit causa tibi pacti violandi,
Causa haud pangendi debuit esse simul.

104. In Stoicos, qui dicunt omnia peccata esse æqualia.

Crimina nonnullis æqualia cuncta vocantur,
Nam, quæ recto abeunt, omnia curva putant.
Omne tamen curvum cum curvum æqualiter haud sit,
Haud æqualia sic crimina cuncta reor.

105. Ad Linum.

Est tibi dulce nihil, nisi sentit dulce palatum.
Uti si nequeas utili, inutile erit.

106. Ad Olum.

Nec bonus est judex, nec juste judicat ille,
Qui juste, puras si haud habet, Ole, manus.

107. Ad Afrum.

Prudenter vivis, nos vivimus, Afer, honeste.
Te procerum studium, nos populiqve tenet.
Virtutisque tuæ fructus sunt præmia, honores;
Nostræ at virtutis plebis inanis amor.

108. Ad Faustum.

Atros, Fauste, dies varios numerare Latini.
Nosqve diem mensis credimus undecimum *).

*) Undecimus dies Junii et Decembris est terminus solutionis apud nos.

109.

Qui multis eget, est, quamvis sit dives, egenus.
Contentus paucis, est opulentus inops.
Sola fames auri, rerumque æterna cupido
Ærumnas nobis pauperiemque creant.

110. In grammaticum, qui ad exemplum Gellii noctes Atticas scribit.

Noctes dum græcas scribis, græcatur et uxor;
Noctes cum famulo transigit illa suas.

111. De Canuto Magno, quem cum Canuto Sancto nonnulli confundunt.

Sunt quibus in sanctis placuit numerare Canutum.
  Errant, non divus, dives at ille fuit.

112. De inæquali hominum sorte.

In Delphini usum tot libros edis, Amynta,
  Proque labore tuo præmia nulla capis.
Huic semel uxorem tradit Theodorus in usum,
  Proque labore suo prædia multa capit.

113. Argumenta negativa non probant. Ad Olum.

Argumenta nihil firmare negantia possunt;
  Insolitum quodvis non simul illicitum.
Calvos urbs habuit prætores ordine septem;
  Quis solos calvos hinc fore jure putet? *)

*) Esse debere.

114. Ad Anytum.

Quæris, quo studio profeci maxime, Anyte!
  Nil scio pro certo, me nisi scire nihil.

115. Ad Sextum.

Primus, Sexte, gradus maturam ad cognitionem
  Ducens, cognitio est stultitiæ propriæ.

116. Monitum ad scriptorem Quinctum, cujus scripta ab iniquo censore dilacerata sunt in nuper edito libello.

Bilem jure movet censoris crisis acerba,
  Inque hostem calamum stringere, Quincte, cupis.
Non tibi sum belli dissvasor; svadeo tantum,
  Ne subito nimium congrediare furens.
Exspecta, ut videas cursum sortemque libelli;
  Judicio populi forsitan ille cadat;
Prœlia nempe fugit dux prudens atque peritus,
  Sanguine non fuso qui superare potest.

117.

Vir bonus exercet virtutem, quæ sine fructu est.
  Heros hanc sequitur, si sibia noxia erit.

118. In adulatores.

Pejor adulator corvo est; hic mortua tantum
Corpora consumit, viva sed ille vorat.

119. In Flaccum.

Non habet uxorem Flaccus, sed habetur ab illa.
Dicitur is dominus, sed dominatur ea.

120. In Afrum equitum præfectum, qui uxoris imperio subest.

Afer! equos qui quadrupedes toties domuisti,
Unam nunc bipedem flectere nescis equam.

121. Ad Anytum.

Turpe quidem non est perverso assvescere; verum
Perversi vitam vivere turpe foret.
Nec tibi turpe pedem lustris inferre; sed illud
Turpe est, si nequeas inde referre pedem.

122. Ad Faustinum.

Non suffert Faustine, malum, qui fert patienter.
Ægre sed qui fert, sufferat ille malum.

123.

Ille suas recte partes obisse putandus,
Qui melior, sed non ditior inde venit.

124. In Papilum Rhetorem debilis memoriæ, sed crudi ventris.

Podice si clauso dicas ac codice aperto,
Non contemnendus, Papile, rhetor eris.

125.

Astrologi culpam retegunt satis astra: medentis
Terra tegit; litem non Libitina movet.

126.

Isti væ navi, non vectigale soluto
Quæ portu egreditur, quæ pelagumqve petit.
Isti væque homini, qui fatis non prius actus
Egreditur vita per mare mortis iens.

127. Descriptio loci, ubi habitat poeta. Ad Papilum.

Quæris quo vico nos urbis nunc habitamus.
Sunt vicina mihi, Papile, bina fora;
Dicitur hocce vetus, veteres dominantur ubi artes,
Flagitia ac rixæ, crimina, furta, doli.
Est aliudque novum [1]) crucibus lignoque ferali
Conspicuum. In medio [2]) Justitiam esse vides.
Sic inter fures furcasque habito sine fraude;
Namque premente Deo [3]), fert Deus [4]) alter opem.

[1]) Forum novum est locus suppliciorum. [2]) Curia senatorum, quæ sita est inter utrumque forum. [3]) Mercurio furum protectore, qui in veteri foro regnat. [4]) Justitiæ, quæ in foro novo exercetur.

128. Ad Olum.

Est sapiens, a quo sapientia quæritur, Ole;
Insipiens est, qui se reperisse putat.

129.

A docto differt indoctus, Papile, tantum,
Quantum equus a domito differat indomitus.

130. Ad Theodorum olim luxuriosum, sed jam ob paupertatem sordide viventem.

Prandia ni tibi lauta nimis, Theodore, fuissent,
Non cœnosa foret tetraqve cœna tibi.

131. In Bassum poetam parasitum.

Offers, Basse, mihi versus, tibi carmina reddo;
Qualeque das donum, tale remitto. Vale.

132.

Incolumes hostes in servatoris honorem
Vivunt; hinc victis parcere proficuum.

133.

Non plectenda palam peccata latentia, censor;
Nam dum plectuntur, percipiuntur ea.

134. In scelestum hominem, qui memoriæ suæ debilitatem plangit.

Plangis, quod nequeas memori transacta tenere
Mente; sed hinc faustum te tamen esse puto.
Te torqueret enim memorem revocatio vitæ;
Flagitiosa fuit: nil meminisse juvat.

135. Ad Anicetum.

Est homini tota discendum vivere vita,
Tota et discendum vita, Anicete, mori.

136. Epitaphium desidiosi senis.

Hic jacet exstinctus Theodorus et otio et annis;
Vixit enim breviter, sed fuit ille diu.

137. In delicatulum quendam.

Formæ tanta tibi cura est, rempuhlicam ut optes
Turbari potius, quam tibi, Sexte, comas.

138.

Ambitiosus homo magno petit illa labore,
Quæ majore dehinc anxietate tenet.

139. Ad Cæcilianum. Stulte homo laudatur ob animi corporisque dotes, cum laus soli creatori debetur.

Si non sutorem, sed laudem sutile tantum,
Si non artificem, sed magis artis opus,
Anticyra dignum me, Cæciliane, putares,
Nugas rideres stultitiamque meam.
At quicquid format cœli terræque creator,
Tota creaturæ gloria sæpe datur.
Formam, haud formantem stulte laudare solemus,
Ille suo ingenio, viribus hicce tumet;
Cum tamen et vires finxit Deus ingeniumque.
Non opus, ast opifex vindicet ista sibi.

140.

In dando dantis magni facienda voluntas.
Gratior est facilis, quam mihi plena manus.

141. Ad Fabullum.

Non curo quid das, sed qua das mente, Fabulle!
Qui tarde donat, noluit ille diu.

142. In clericum quendam Romanum. Ad Amyntam.

Mortuus est cælebs, sobolis magnæ tamen auctor.
Presbyteri ac Mystæ mystice amare solent.
Sacrantur Romæ, sed non castrantur, Amynta.
Ob regnum cœli jam spado nullus erit.

143. In Olum.

Perdit honorem Olus, nimium dum captat honores;
Fit minimus, quoniam maximus esse velit.
Servit enim multis, ut paucis imperet, ac sic
Nomen jactura nominis assequitur.

144. In Marcum sutorem.

Assiduos nostri sutoris laudo labores.
Pellibus ille acuit pellicibusque stylum.

145. In Lini polyhistoris miscellaneam tabernam.

Omnia quæ vulgo prostant, trivialia, rara,
Frivola, res caræ, dulcia, amara simul,
Quicquid deliciis inservit, quicquid ad usum est,
Dat, locat, ac vendit mixta taberna Lini.
Merx, meretrix, fex, pix venduntur, scorta, puellæ;
Libros ac libras, carmina, aromata habet.
Prostant venales herbæ, ciceres, Cicerones,
Cum Fabiis fabæ, cumque Marone merum.
Thuris venduntur jurisqve volumina mixtim,
Usta ibi vina patent, grataque musta nova.
Ipse tabernam imitans exercet munia cuncta:
Rus colit atque studet, jus coquit atque docet.

146. Ad Marcellum.

Hostes ne facias magis est, Marcelle, cavendum,
Quam studeas socios conciliare tibi;
Nam proclivius est illis persæpe nocere,
Quam semel est istis auxilio esse tibi.

147.

Lætitiæ debes animi præferre quietem;
Hæc immota manet, sed perit illa cito.
Lætitiæ effectus sunt tanquam fulgura vana,
Atræ quæ nubes ejaculare solent.
Verum temperies jubar est, lumenque serenum,
Irradians animos perpetuoque fovens.

148. Terra duos habet satellites, sc. pontificem Romanum et Lunam. Ad Aruntem.

Totius terræ servi *) si pontifices sint,
Unica non terræ luna satelles erit.

*) Dicuntur servi servorum.

149. Monitum ad amicum.

Sunt tibi tres gnatæ, totidem famulæ, soror una *)
Errores quarum vitaque nota nimis.
Namque planetarum systema domus tua monstrat.
Conveniunt cursu, sunt numeroque pares.

*) Numero septem.

150. In miseram et insulsam bibliothecam Canonici Marci.

Canonici Marci libri, quos morte reliquit,
Ponderis exigui cuncti, et apocryphi erant.

151. Astrologia non plane rejicienda. Ad Flaccum.

Influere in terram non credis, Flacce, planetas,
Cum tamen effectus cernimus esse graves.
Omnibus est notum, cum sit conjunctio Martis
Ac Veneris, quod sit fertilis alma parens *).

*) Nostra terra.

152. In Anytum.

Laudes ipse tuas divulgas semper in urbe;
Esse tibi puras dicis, Anyte, manus.
Sunt digiti Esavi, Jacobi mellea verba,
Factis, non dictis hinc sit habenda fides.

153.

Lunam præsentat mulier, solemque maritus;
Illa suum lumen namque habet omne ab eo.
Luminis eclipsin patitur cum sole maritus,
Corpus quando aliud ponitur inter eos.
Tunc veluti Phoebus tenuem curvatur in arcum,
Sic vir cornutus fit ratione pari.

154. In mortem Amyntæ.

Pauperie ac morbis duris afflictus Amyntas,
Non obiit, verum desiit ille mori.

155. Ad Paulum.

Tristes, Paule, dies vitæ, tristes mihi noctes;
At nihil est, modo nox ultima læta mihi.

156.

Non miror bellis vexari et amoribus orbem,
Terra inter Martem cum Veneremque natet *).

*) Media inter has planetas est terra.

157. Ad Faustinum.

Apposite hunc orbem terram, Faustine, vocamus;
Nam terimus terram, nos quoque terra terit.

158. Vera disputationis laus. Ad Papilum.

In disceptando lex sacra scholastica mandat,
Descendat Præses victor ut e cathedra.
Vincitur at, quem nemo potest convincere verbis;
Victum se fassus, Papile, victor abit.

159. Inter duo fora habitat poeta, in altero quorum frumentum venditur, in altero jura exercentur.

Confines mihi sunt sedes Cereris Themidosqve,
Nostra domus media est inter utrumque forum.
Quicquid rura valent antiquo possis habere,
Quicquid jura docent possis habere novo.

160. Satyra et laus.

Corpora mellitis putrent, servantur aceto;
Quod mordet, sanat; quod placet, omne nocet.
Laus virus dulce est, Satyra est medicamen amarum.
Sanat torquendo hæc, illa placendo necat.
Porrigit illa tibi cultrum gladiumque petenti,
Hæc minus indulgens, quod nocet, omne negat.
In Syrtes ducit Sirenum cantio dulcis,
Abducit querulus qui regit arte ratem.
Hinc torvus censor, qui creditur esse inimicus
Humani generis, verus amicus erit.
Laudator suavis, speciem qui præbet amici,
Humani generis maximus hostis erit.

161.

Affectata viri gravitas est corporis ingens
Arcanum, mentis quo tegitur vitium.

162.

Cœlum se dicunt monachi ditare; at egenum
Orbem terrarum reddere constat eos *).

*) Cum propter desidiam hominibus oneri sint.

163. Ad Marcum.

Novi, Marce, tuos fratres Cajum ac Theodorum;
Doctus erat major, doctor at esto minor.

164. Status rustici commoda.

Urbani sorte est hominis nil tristius unquam,
Pauperis agricolæ commoda magna patent.
Quale genus vitæ sectetur, nescius ille;
E cunis videt hic, sors sibi qualis erit.
Urbani numerosa domus simul est onerosa;
Quot gnati agricolis, tot numerantur opes.
Qui claræ est stirpis, duro sævoque magistro
Traditur, ut discat quæ nocitura sibi;
Et pueri tergo tunduntur sæpe flagella,
Fortunæ ut senior fiat in orbe jocus.

At quod dediscat, nil discit rusticus infans;
Prolis amans mater sola magistra datur.
Castra is sectatur, civiles captat honores,
Pro vanis titulis mille pericla subit.
Rastra hic sectatur fortis patiensque laboris,
Sorteque contentus nulla pericla subit.
Tandem mature hic thalami sociam sibi adoptat.
Dum par officio est, membraque cuncta vigent.
Tardius is, laute ut clara cum conjuge vivat.
Pro sobole hinc thalami cornua sola ferunt.

165. In duas sorores, quæ mercaturam ambæ exercent, sed impari successu.

In mercatura sors est diversa, sorores!
Tu varias merces vendis, inopsque manes.
Crescit in immensum, census acquirit opesqve,
Quæ solas noctes vendit, Anyta soror.

166. Dari vacuum monstrant crumenæ pauperum.

Inspectis nuper loculis exclamat Amyntas:
In mundo vacuum nunc probo posse dari.

167.

Nulla tuæ frons est uxori, nec pudor ullus.
O utinam! quoqve frons *) non foret ulla tibi.

*) Respectu cornuum.

168. In Mamercum, qui filium habet profligatæ vitæ.

Tute avus atque pater poteris, Mamerce, vocari,
Quod gnatus simul est filius atque nepos.

169. Epitaphium fratrum, quos amor scorti ad funestum duellum provocavit.

Egregiam laudem retulit par nobile fratrum;
Pro re publica enim fortiter ambo cadunt.

170. Laus Papili, qui Fabullo in prætura successit.

Lente atque ignave jus dixit in urbe Fabullus;
At tu justitiæ, Papile, justa facis.

171. Qualis uxor ducenda est. Ad Danaverum.

Uxorem quæris, qualem mihi, Danaver, opto,
Ducere quam vellem, si optio plena foret.
Non nimis esto ferox, nec sit facilis nimis uxor.
Illa ferit corium, cornua at hæcce feret.
Pulcra nimis nec sit, nec sit nimis horrida, namque
Deformem fugio, meque venusta fugit.
Nec dotata nimis, nec pauper sit sine dote;
Illa morosa, sed hæc est onerosa mihi.
Non nimis esto gravis, nimiumque levem mihi nolo;
Quæ levis est, gravis est; nam levitate gravat.
Nec plane sterilem, nec fœcundam nimis opto:
Nam famam illa aufert *), afferat hæcce famem.
Nec volo prudentem, stolidam timeo atque procacem.
Vult regere illa, sed hanc non regere ipse queam.
Nulla extrema volo; medium placet; inter utrumque
Cum thalami socia tutior ibit homo.

*) Sterilitas uxoris vulgo mariti impotentiæ adscribitur.

172. In Cajam matronam temulentam.

Uxorem lunam dicis, quia luce mariti
Splendeat illa, viro subjacet atque paret.
His licet in rebus similis lunæ tua Caja;
Distat ea, semper plena quod esse solet *).

*) Id quod de luna dici nequit.

173. Negare interdum est bene facere. Ad Paulum.

Plures, Paule, necas dando, quam dona negando;
Dura repulsa quidem, munera dura magis.
Frigida sic ægris, iratis tradere ferrum
Est bonitas atrox, officium officiens.
In dando spectes ea, quæ accepisse juvabit,
Non ea spectabis, quæ juvat accipere.

174.

Copia larga cibi febres exauget; avari
Auget avaritiam copia quævis opum.

175.

Ille nimis sero dat, qui dat dona roganti;
Obvia quæ veniunt munera, munera erunt.

176.

Hic promittentis vultu negat, ille negantis
Dat; cui plus debes, dicere difficile est.

177. Ad Leandrum.

Pars vitæ male agendo perit permagna, Leander!
Maxima agendo nihil, tota at agendo aliud.

178.

Cum facere omne velis, in re vix proficis ulla.
Est nusquam, cunctis qui solet esse locis.

179.

Quæris, quis verus modus esto divitiarum.
Tute necesse habeas, deinde satis quod erit.

180.

Est vitium cunctis, vitium est quoque credere nulli.
Illud honestius est, tutius istud erit.

181.

Quando togam portas, non vitam imitare Sophorum;
Non Sophus esto, Sophi simius esto magis:
Namque Sophi vita est non quæ contraria vulgi,
Sed quæ vulgari purior esse velit.

182.

Infaustus non es, infaustum te nisi sentis;
Nec faustus, faustum te nisi, Sexte, putas.
Tristis qui status esse potest visus tibi lætus?
Quive bonus, quando creditur esse malus?

183. Ad Paulum.

Parvo, Paule, fames constat, sed nausea magno.
Hinc dici poterit nausea dira fames.

184.

Ut nihilum referat quo lecto ponitur æger,
Ligneo an aurato: morbus eum sequitur;
Sic et avarus homo, seu paupertate prematur,
Seu sit dives opum, pauper et æger erit.

185.

Sit perfecto homini sententia iniqua molesta,
Solum ob peccatum judicis atque scelus.

186.

Qui vult perpetuo splendere, haud addat honori;
At potius famæ detrahat ille fami.

187.

Insultare malis validi est, ferre est sapientis;
Non quærat sapiens, sed ferat, Ole, malum.

188. Dicunt nonnulli: Solem non esse calidum, quamvis calorem efficiat. Ad Leonem.

Soli tu nullum, Leo, credis inesse calorem,
Cum tamen accendit quicquid in orbe siet.
Forsitan haud erras; glacie mea Lesbia dura
Frigidior; flammis, quas movet, ipsa caret.
Urit enim frigus, glacies in corpore sævos
Excitat ardores, nutrit alitqve simul.

189. In pauperem et superbum.

Corpora ut ad vacuum consurgunt, aëre pulso,
Sic vacuo inflaris: turgidus es et inops.

190. In Rupertum servum durum et inflexibilem.

Cor tibi cos, scapulæ scopuli, rupesque Ruperte es;
Verbis nam flecti verberibusque nequis.

191. In Annam virginem frigidam et fugacem.

Ardorem Phoebi fugiendo ut frigida Daphne
Auxit, sic tua me concitat, Anna, fuga.
Sta, subsistet amor; faciem mihi da, tibi tergum
Vertam; namque tuo frigeat igne meus.

192. In humilem monachorum fastum.

Tegmine sub cilicum latitare superciliosum
  Constat; non corio, judico corde virum.
Nec toga submissum, nec barba facit sapientem;
  Sub setis famæ maxima sæpe sitis.

193. In Marcum, qui a dispensatore suo rationem rei domesticæ poscit.

Frustra tu famulum rationem reddere cogis.
  Cui ratio haud data sit, reddere, Marce, nequit.

194. Non semper verum illud: Quod quis non habet, alteri dare nequit.

Quod quis non habeat, dicis nulli dare posse;
  Nullum habeo colaphum, sed tibi, Sexte, darem.

195. In Aruntem.

Dicas, quod sentis. Quod sentis sed neque dicis,
  Imo id, quod dicis, tu neque sentis, Aruns.

196. In Mamercum, qui cum studiis mutat mores.

Vixit Mamercus, dum scripsit metra, licenter;
  Sermo ligatus erat, vita soluta fuit.
Idem nunc prosa scribit, vivitque decenter;
  Vita ligata viri, scripta soluta patent.

197.

Sensus omnis egens, bonus est tamen Otho senator;
  Assensum, haud sensum curia poscit enim.

198. Ad amasiam deformem, quæ tamen amatorem habet.

Corpora dicuntur res attrahere ac gravitare *);
  Cernimus effectus, abdita causa tamen.
Hei mihi! tu polles ista virtute trahendi.
  Me trahis; effectum sentio, causa latet.

*) Secundum hypothesin Newtonianam.

199.

Fac prius ut vitia emoriantur, quam moriare,
  Vivant virtutes post obitumque tuum.

200. In Amyntam.

Armatus semper bello est accinctus Amyntas,
Telaque si desint bellica, cornua habet.

201.

Jam præter vitia in Faustino cuncta senescunt,
Quin cum canitie crescit avaritia.

202.

Esset si tibi cor, non cornua, Damon, haberes;
Uxor fida foret, vir modo tute fores.

203. Ad Afrum.

Quidam ad virtutem proprio conamine tendunt,
Hos miror, veneror, suspicio, atqve colo.
Sunt, qui ad virtutem tantum comitantur euntes
Ductores alios; laudibus effero eos.
Denique sunt homines, qui cogi se patiuntur
Ad justum ac rectum; gratulor, Afer, iis.

204.

Magnus Alexander Persas Indosque subegit;
Attamen a vitiis vincitur ipse suis.

205. Ad Danaverum.

Non vitium sentis, vitio dum, Danaver, hæres;
Nam sensus morbi causa salutis erit.
Somnia si narres, ostendis te vigilare;
Dormis, si in somno te vigilare putas.

206. Ad Afrum.

Instruit is vere qui moribus instruit, Afer,
Doctrinamque suam qui faciendo probat.

207. Ad Olum.

Tardius, Ole, mori aut citius non pertinet ad rem;
At multum referat si bene, sive male.

208. Ad Theodorum.

Cum titulis fulges, magnus, Theodore, vocaris;
  Ut statua in magna parva locata basi.
Quid valeas dicam, si vis descendere monte,
  Si vis te nudum sistere et absque basi.
Pumilio est parvus, licet alta rupe locatus,
  In puteoque Gigas mergitur, estque Gigas.

209. Ad Olum.

Est vinolentus vulgo ferus et violentus;
  Sanguinis est sitiens qui madet, Ole, mero.

Liber secundus.

---

1. Nemo beatior est stulto. Paradoxon contra Stoicos, qui dicunt solos sapientes esse beatos. Ad Sextum de Lino.

Solum prudentem veteres dixere beatum.
  Errant; quis stulto faustior esse queat?
Sibilat urbs cum tota Linum, semper sibi plaudit;
  Lætatur conjux cum parit Anna nothos.
Si quid ait stolide, mentis miratur acumen,
  Quodque alii culpant, invidiam esse putat.
Pessimus orator sibi maximus ipse videtur,
  Et sua carminibus crimina fœda canit.
Credit amore sui teneras ardere puellas,
  Qui faciem sub aqua, Sexte, natantis habet.
Cumque screat, tussit, titubat, semper sibi plaudit.
  Nemo igitur stolido faustior esse potest.

2. In Afrum.

Quæris cur Venerem plebejam nauseat Afer;
  Asse emitur gemino, displicet inde nimis.
Patriciam Venerem si reddere vis obolarem,
  Transeat ad plebem, namque amat ob pretium.

3. Experientia didicit Poeta, iram sacram et Philosophicam fervidissimam esse ac maxime constantem. Ad Faustum.

Irarum fluctus tumidos et atrocia bella
  Sæpe ciere mihi candida scripta solent,

Tonsores, rabulæ, doctores atque magistri,
  Nautæ, caupones ore tonante fremunt.
Jam dicam scribunt rabulæ, litesque minantur;
  Jam docti frendent, exacuuntque stylum.
Militis ira gravis, gravior tamen ira magistri,
  Iram qui scriptis improbat atque notat.

4. In Petrum nocturnum nostrum vigilem, qvi, dum cantando quietem mihi optat, desomnem me sæpe facit.

Desine, Petre, mihi cantando optare quietem;
  Cum canis, evigilo; dormio, quando taces.

5. Votum Poetæ.

Quæ sibi conducunt, pauci dignoscere possunt.
  Ut patrios census vincat, Apella petit;
Nestoreos annos et plumas Sardanapali
  Mamercus; titulos optat egenus Aruns.
Quincte! mihi placidam vitam sine lite peropto,
  Servam non doctam, sed docilem opto mihi.
Ædes opto mihi, tectum, gnatas sine rimis *);
  Fidus amicus, ut et sit mihi verna satur.
Elinguis tonsor, conjux sine dote benigna **),
  Sit mihi fons vivus, sit mihi nemo medens.

*) Pudicas et inexpugnabiles. **) Quia dotatæ plerumque feroces sunt.

6. Cur ad Cantum juvenis Galli plorat Petrus fullo.

Uxorem Petri fullonis amat Parisinus.
  Huncce Thais, fidibus cum modulatur, amat;
Ad cantum Galli cum saltibus exsilit illa,
  Petrus suspirans fletibus ora rigat.

7. Ad Pœtum.

Poscis, quando optas pacem lætamque salutem,
  Humani ut generis portio dispereat.
Causidici, rixas si tollas, Pœte, peribunt;
  Bello alitur miles, febris alit medicum.

8. In laudem Pauli grammatici.

Grammatici Pauli mira observantia linguæ est:
Cum scribit lusco, dicit: *amice, vident*
Tres oculi melius, ne committat pleonasmum.
Linguam ne lædat, lædit amicitiam.

9. Solatur poeta Posthumum, qui ægre fert, se neglecto, indignos viros ad honores evehi.

Virtuti studiisque tuis calcaria nulla,
Præmia sed stultis, ore tonante sonas.
Jam jecur ira ardet, cum fasces ante Fabullum
Gestari cernis, qui tulit ante faces.
Quo tondente gravis juveni tibi barba sonabat,
Factum prætorem Crantora, sæpe fremis.
Nuper vendentem fracta de merce siluros
Quæstorem fieri vociferasque Linum.
Ob te contemptum tu questu pectora rumpis;
Sunt causæ gemitus, Posthume; nemo negat.
At non es solus, sunt multi te meliores,
Qui cum cuncta merent, præmia nulla ferunt.
Inter tot veteres tibi sufficit unus Ulysses,
Trojanæ gentis qui superator erat.
Post varios casus, post tot discrimina rerum
Cornutus, pauper vir redit ille domum.

10. In Amyntam.

Laternæ portator eras, nunc prætor, Amynta,
Nactus præturam nempe juvante Lea.
Vulcanum in cornu dominis præferre solebas;
Jamque Lea ducta, cornua fronte feras.

11. Dum raptum Helenes ulciscuntur heroes Græci, ipsi cornuti fiunt.

Ut furtum Paridis plectant, armantur Achivi;
Unum ob *) Cornutum Græcia tota furit.
Obque Helenam lenam Priami dum mœnia frangunt
Cornibus, in patria cornua dantur iis.

*) Menelaum.

12. In Flaccum.

Scortantem gnatum cur Flaccus verbere cædit?
  Invidet emeritus, quod nequit ipse pater.

13. Consolatio ad magistrum, qui uxorem habet infidam.

Quod peccant alii, noli plorare magister!
  Peccato uxoris cornua nempe geris.
Hinc oculis parcas lippus, cum sis sine culpa;
  Sola uxor peccat, noxia sola gemat.

14. Non a stultis, sed de stultis scribitur comoedia. In Brutum.

Brute, diu nobis fabellas scribis inepte,
  De te, non a te fabula scripta placet.

15. Differt verus consul a consule ficto, sive scenico, tantum tempore; nam hic magistratus diurnus est, ille annuus.

Qui tragicus consul differt a consule vero?
  Hicce annos aliquot, sed regit ille diem.

16. Laudatur diligentia chirurgi Theodori, qui ne vulnera, quæ obliget, desint, noctu personatus grassatur, ac occurrentibus vulnera infligit.

Vulnera ne desint, Theodorus vulnerat ipse,
  Privans vita animas, ut revocare queat.

17. Cum splendidissime apud nos vivant pauperes, salse poeta monet censorem, ut censum pauperum acturus numerum ineat curruum seu quadrigarum.

Cum mendicorum tibi census agendus in urbe est,
  Quadrigas numeres, calculus inde tibi.

18. In medicum Flaccum. Ad Papilum.

Cum nutrice opus est, doctorem consule Flaccum.
  Præ reliquis medicis hoc sibi Flaccus habet;
Nam qui tot fecit nutrices, Papile, novit,
  Interiora quid ac exteriora valent.

19. *Fabularum scriptores insectantur stulti homines, dum credunt semper de se ludi.*

De me cur semper ludatur fabula, clamas;
  At sine te ludi fabula nulla queat.

20. *Gemitibus ac lacrymis potius, quam cantu et tibiis venia peccatorum petenda est.*

Ploras peccatum genibus supplex modulando,
  Quidni et saltando? Credimus illud idem.
Iratum cœlum gemitus, non tibia placat.
  Laudo Deum calamo, flecto Deum lacrymis.

21. *Cum supplex Deo se sistit sutor, abjiciat stylum ac crepidas. Notantur leviter ii, qui hymnos sacros cantant, dum sordidis ministeriis occupantur.*

Hymnorum crepitu sutoris sacra taberna est
  Alpheni, crepidas cum suit ille suas.
Abjice quæso stylum, crepidas, ac claude tabernam,
  Si vis ut placeant carmina sacra Deo.
Namque hominem totum sibi poscit numen Olympi;
  Horam da crepidis, da reliquasque Deo.

22. *Poetum monet, ut cantaturus claudat fenestras, ne obstrepat auribus prætereuntium.*

Dum cantat Pœtus. dicit se fallere tempus.
  Ipse alios fallit, fallitur ipse sibi.
Ipsum se fallit, dum rudere nescit asellum,
  Sectantique sonum dat nisi verba nihil.
Janua claudatur, si cantu fallere tempus,
  Pœte, velis; fallas tempora, non homines.

23. *Patrissat filius lictoris, cum carmina scribit.*

Filius Aistulphi lictoris carmina scribit.
  Verberat hic nodis, verberat ille modis *).

*) Insulsis carminibus vexat.

24. *Cur dicitur perfrictæ frontis homo Tityrus.*

Nocte dieqve fricas digitis tibi, Tityre, frontem;
  Perfrictæ es merito, Tityre, frontis homo.

25. Non mirum circumcisi oratoris, circumcisas esse orationes. In Malchum conversum Judæum.

Cur circumcisa et brevis est oratio Malchi?
Curti hominis sermo, Papile, curtus erit.

26. Encomium pacis.

Aurea pax firmo complectitur omnia nexu.
Pax Cererem nutrit, pax sacer orbis amor.
Pax facit, ut tuti sulcent tumida æquora nautæ.
Otia defessis pax dabit alma viris.
Musarum nutrix est pax ac grata Camœnis.
Floreat et vigeat pax deamata diu.
Soli bella gerent ædiles ac laniones;
Hæc etenim populo pax lacrymosa venit.

27. In Faustum avarum.

Das nihil atqve simul das large plurima, Fauste;
Das verba uxori, verbera das famulis.
Das animum fœdo lucro, das carmina scombris,
Das animam Thaidi, viscera dasque fami.
Materiam risus das urbi, dasque theatris;
Das, dicam paucis, omnia dando, nihil.

28. Excusat se modeste poeta, quod de medicis toties ludit. Ad Flaccum medicum.

Artis Apollineæ cultor! cur carmina damnas?
Cur satyræ pungunt, innocuique sales?
Tolle salem medicum, quid erunt medicamina, Flacce!
Tristia si scribas carmina, nemo legat;
Innocuos permitte sales! cur ludere nobis
Non liceat, liceat si jugulare tibi?

29. In amicum importunum.

Cum lapide hinc quarto degisti, ardenter amabam;
Addis adhuc lapidem, carior esto mihi.

30. Morbus imaginarius est verus morbus. Ad Faustum.

Rides Faustinum, quod semper se putat ægrum.
Non bene, qui invalidum se putat esse, valet.

31. Cur Malchus e sanctis Noachum maxime colit.

Ante omnes sanctos colitur tibi, Malche, Noachus.
Inventor dulcis dicitur ille meri.

32. In Ollum emendatorem librorum.

Olle diu emendans authores atque poetas,
Jam mendas mentis respice, quæso, parum.
Hinc fac cum libris correctior exeat Ollus,
Ut correctoris laus tibi vera siet.

33. In poemata quædam incondita, quæ post novissimum urbis nostræ incendium prodiere.

Nonne mali satis est urbs regia passa, Fabulle,
Insulsum vatem te nisi nacta foret?
Cuncta jacent flammis et tristi mersa favilla,
Tu fœdas fœdis rudera carminibus.
Urbis Apollineæ cineres plorabit Homerus,
Magnus Lucanus Cæsaris acta canat.
Mulciberi tremulis flagrantes ignibus urbes,
Terrarum strages, Deucalionis aquas,
Non bene describit lutulenti vena Fabulli,
Mæonius calamus, vena Maronis erit.
Cui tenuis vena est, tenui meditetur avena:
Sellas, non stellas versibus ille canat.
Nam cœnum, haud cœlum, debet cantare poeta,
Quem muscæ, haud Musæ versificare docent.

34. Nulla est regula sine exceptione. Ad Faustum magistrum.

Docte Magister! in Is labentia nomina dictas
Foeminei generis; semper at esse nequit.

Regula non semper constabit; Dorida namqve
  Communis generis novimus esse tuam.

35.

Sæpe mihi Flaccus nummorum monstrat acervos
  Gazasque immensas, quas tenet ille domi..
At cum sæpe vocat, sed nunquam porrigit assem,
  Non vocat, ut videam; monstrat, ut invideam.

36. Vere dicitur dilapidasse bona Paulus, qui in coëmendos lapides pretiosos cunctas facultates erogavit.

Paule! mihi monstras hyacinthos atque topazos,
  Gemmas et positos ordine chrysolithos.
Hos magno pretio tibi vendidit Afer Apella.
  Diceris hinc vere dilapidasse bona.

37. Laudatur zelus censoris nostri in exterminandis lupis ac meretricibus; petit poeta, ut etiam muscas exterminare tentet, quod non majoris molis est.

Agnosco meritum censoris, cum meretrices,
  Cumque lupas penitus tollere in urbe velit.
Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas;
  Impar his ausis claviger esto tamen.
Succubuisset enim fœde Tirynthius Heros,
  Si talis stabuli claustra lavanda forent.
Magnanimi hinc nostri censoris prædico laudes.
  Optarem muscas tolleret ille simul.

38.

Curris lymphatus, sudas, fremis atque laboras:
  Omnia facturus tu facis, Ole, nihil.

39. In Marcum.

Exurit nostri Marci cum viscera febris,
  Æstu desipiens decipit ille suos.
Namqve illi dubitant, an stulte in febre loquatur,
  Nempe loqui stolide cum sine febre solet.
Ignorant simul an redeat mens febre soluta.
  Qui nunquam sapuit, non resipiscit enim.

40. Non semper verum est, quod de mulieribus ajunt: ut flerent, oculos erudiere suos.

Falsum est de vetulis, quod vulgo dicitur, Aucte,
Ut plorent, oculos erudiere suos.
Mentiri vatem docet uxor lusca Fabulli,
Altero enim tantum lumine flere solet.

41. Pravus ingeniorum delectus, causa est, cur tot inepti homines ac muneribus impares sint. Ad Papilum rhetorem.

Mille parit dives rerum natura colores,
Lætatur tellus seminibusque novis.
Lippus sæpe pater stellatum procreat Argum.
Præsignis genetrix monstra stupenda parit.
Hic pollet digitis, cum lumine polleat ille,
Strato valet pedibus, præstat Anilo manu.
Ingenium dedit huic, illi natura lacertos.
Nascitur hic fortis, nascitur ille sagax.
Sic natura homines paucos producit inertes;
Partus iners si sit, culpa parentis erit.
Ingenium velox habet Olus, filius Afri;
Sed pater est sutor, sutor et Olus erit.
Doctor erit Flaccus, natura factus ad arma,
Cum Matho mysta fuit, cumque beatus Avus.
Multi hinc doctores, totque hinc sancti nebulones,
Tot lenti artifices, tot miserique duces.
Sanas naturæ leges pervertimus ipsi;
Turbamus fœde, quod sapienter agit.
Hinc tibi si gnatus, cui non data copia fandi,
Sed quem pictorem procreat alma parens,
Pictorem facies potius; nam rhetore blæso
Egregius pictor, Papile, major erit.

42. In Linam Fausti uxorem, quæ semper plorat.

Oceani matrem Vestam cecinere poetæ;
At nos nutricem credimus esse Linam.
Hæc uxor vetula est Fausti, cui fons oculorum
Perpetuis rivis ora genasque rigat.

Agnum si mactes, stillat mox rivus ocellis;
Sique tonat cœlum, labitur imber aquæ,
Sic cum perpetuis lacrymis rorentur ocelli,
Verius oceani dicitur illa parens.

43. Musas admonet, caveant sibi a poeta lascivo Selio.

Laurigeræ Selium non auscultate Camœnæ!
Poscentem vestram, cum modulatur, opem.
Ipsas nam Musas, non montem quærit amator;
Non fontem, at fontis numina mente cupit.

44. Ad Papilum.

Tu rides Flaccum, cum se putat esse poetam,
Solum quod genitor Stella poeta fuit;
Ipsum ridebis te nobilitate tumentem.
Quod Selii es soboles, nobilis esse velis.
Stemmata ut haud faciunt, sed sola poemata vatem,
Unica sic virtus nobilitare potest.

45. In Varronem.

Uxorem longus cur ducis, Varro, pusillam?
Pygmææ junctus quo videare Gigas.

46. Copia rerum pretium minuit. Ad Sextum.

Virginitas venalis erat tribus assibus olim;
Jam famulæ amplexus sex tibi emendus erit.
Hinc liqueat plures tunc, Sexte, fuisse puellas,
Copia nam rerum diminuit pretium.

47. Inter Olum et Afrum, quorum uterque tutelam virginis sibi vindicabat, lis ita composita est, ut Olus sortem bonorum administraret, Afer incrementa.

Materiam litis dedit heic tutela puellæ.
Proximus agnatus virginis Olus erat.
Orbæ tutelam sibi soli vindicat Afer.
Post longas rixas lex ita lata fuit:
Ipsa bonorum sors tutori ut cederet Olo;
Sic usum fructum virginis Afer habet.

48. Cum regem Salomonem inter avos numerat fœnerator Marcus, monstrat se Judaicæ originis. Ad Papilum.

Deducens Marcus genus alto a sanguine regum
Jure tibi apparet, Papile, mentis inops;
Ilia solvuntur risu, tibi cum Salomonem,
Hebræum regem, computat inter avos.
Ast an deliret, lis est sub judice; monstrant
Usuræ, Hebræi stemmatis esse virum.

49. Virum nihili nitide vestitum comparat poeta cum heroico poemate.

Cum sis vir nihili, sed tectus veste nitenti,
Appares tanquam molle poema mihi.
Nam flores vatum si demas, Flacce, micantes,
Æsopi corvo nudius illud erit.

50. Ira theologi plerumque implacabilis est. Ad Faustinum.

Cum mihi theiologus bellum, Faustine, minatur,
Mox pavidus pacem supplice voce precor.
Fausti hirsuta cohors minor est mihi Castoris ira.
Injuste patiens me puto jure pati.

51. Aures, non oculi mulierum læduntur. In Corinnam. Ad Sextum.

Aures non oculi læduntur, Sexte, Corinnæ.
Vocibus obscœnis illa rubere solet.
Ad statuam nudi juvenis non claudit ocellos,
Pallet si statuæ mentio sola siet.

52.

Casta Lycoris amat, Selio sed sæpe roganti
Sollicite noctem, sæpe repulsa datur.
Verba miser perdis nil proficientia, dicit;
Non nisi vi capior; noluit ille tamen.
Si sufflas, ait illa, *cadam, sed inaniter oras;*
Hinc afflat juvenis, casta puella cadit.

Sylvarum custos, qui casum viderat, instat:
  Quicquid dejicitur flatibus, esse suum.

53. In Claudiam.

Claudia, cum Veneris sit mentio, sæpe rubescit;
  Artibus at Veneris nulla perita magis.

54. In Pœtum.

Objectas obscena Lino, quod carmina scribit;
  Obscenos mores, quod notat ille tuos.

55.

Cum Davo servo dominus narraret amator,
  Quot planctus sylvis, quot gemitusque dedit,
Quærebat stolide Davus, quid sylva regessit;
  Ille rogat stulte, stultius iste gemit.

56. Ad Faustum.

Pallentes vates miraris tam petulantes.
  Musæ, Fauste, novem sat stimulare queant.

57. In Sextum, qui plorat jacturam capellæ.

Quare animum miserum cruciat jactura capellæ?
  Quid prosunt lacrymæ, quidve querela juvat?
Stultum est ob capras sibi vellere velle capillos,
  Ac si mœrorem calvities minuat.

58. In Cinnam, qui e fabro ferrario consul factus est.

Cinna faber, consul jam, sic suffragia claudit:
  Cudamus ferrum, dum calet illud adhuc.

59. Cur exercenda sit virtus. Ad Papilum.

Dixerunt veteres: Virtus laudatur et alget.
  Sola probos hodie spes alit atqve fovet.
Ast, amo virtutem, dicis; mea laus celebretur,
  Cum cinis absumpto corpore factus ero.
Tune putas laudem manes curare sepultos?
  Falleris; extincto gloria sera venit.

Post lethale gelu non est opus amplius igne;
  Auribus abscissis musica nulla placet.
Qvid valeat virtus, paucis, adverte, docebo,
  Scilicet ut sit nox ultima læta tibi.
Hic virtutis erit stimulus, sed cætera vana;
  Hoc animo virtus, si qua, colenda mihi.

60. De cæca honorum cupidine. Ad Pœtum.

Quæ mala non peperit laudis tituliqve cupido?
  Quid violentius hac pectora, Pœte, movet?
Iræ ingens furor est, furit et lasciva libido;
  Sæpius at vaga sunt, quæque perire solent.
Nominis at nunquam satiatur dira cupido;
  Constanter furit hæc, nec nisi morte perit.
Indole mansuetus Cæsar proscribit amicos,
  Ac patriam secum perdere, Pœte, studet.
Turcarum proceres læti pereunt, modo regnent;
  Cum laqueo titulos stulte avideque petunt.
Hæc taceo; monstrant exempla domestica, cives
  Ob titulos solitos dilapidare bona.
Pauperiem hi tolerant, modo dextra manus tribuatur.
  Quid dextræ hoc studio, Pœte, sinistrius est?

61. Maximus est princeps, qui pacem colit. Ad Flaccum.

Est merito magnus Gallorum Rex Ludovicus *);
  Hoc cognomen enim prospera bella dabant.
Est igitur magnus; sed major, Flacce, fuisset,
  Ensem si nunquam strinxerat ille ferum.
Major dicendus, cujus moderamine florent
  Mercatura, Artes, Justitia atque Fides.

*) Cognomine magnus.

62. In Pœtum ad Festum.

Immerito culpas Pætum, quod veste superbus
  Purpurea incedat; nam sapienter agit.
Aurum non opus est, sed ferrum tingere, Feste;
  Commendat vestis sæpe virum nihili.

63. Programma in cerevisiæ coctorem, qui nuper solum vertit.

Tandem decoxit vertitque solum Theodorus,
Qui Cererem toties verterat heic in aquam.

64. In Mamercum coquum iracundum.

Omnibus heic præstat Mamercus in arte coquendi;
At salsum dictum concoquere ille nequit.

65. In quosdam vini campani corruptores apud nos.

Lustrat aqua sacra campanas Roma; sed urbs hæc
Vinum campanum simplice tingit aqua.

66. Exempla plus docent quam verba.

Semper clamat Aruns, sed plus docet Otho tacendo.
Instruit ille sono, moribus iste docet.
Artem dicendi, blandæ modulamina linguæ,
Si desit virtus, murmura vana puto.

67. In rhetorem Annulonem.

Consilio medici lotium bibit Annulo rhetor;
Vocem firmari sic putat atque latus.
Si res succedet, si spem medicina replebit,
Eloquii pater hic mox lotialis erit *).

*) Uti Cicero dicitur Latialis eloquii parens.

68. Ad Posthumum.

Tantum verbose, non docte scribit Amyntas;
Dicitur hinc populo, Posthume, verba dare.

69. Epitaphium in censorem nomine Benedictum.

Inter censores nostros unum Benedictum
Novimus hunc solum, quem tegit iste lapis.

70. Ad amicum a philosopho in aulicum transformatum.

Moribus antiquis mutatis, magna potentum
Atria, Feste, teris, nomen inane petens.

Quantuscunque tibi nunc es populoqve videris,
  Cernere te potero vix tamen absque tubo.
Sic mihi crescendo decrescis; quem venerabar
  Egregium civem, mancipium video.
Falleris, invidia si dici talia credis;
  Nam quem vix video, non facile invideo.

71. Amicum consilium ad Olum.

Tu quibus invigilas studiis, quibus artibus, Ole,
  Quæris ut emergas; otia sola colas.
Invidiam tantum pariunt tibi Palladis artes.
  Tutus ab invidia barbarus omnis erit.

72. In ludi magistrum, a quo duris verbis exceptus est poeta.

Æquo animo patior tua verba 'minantia, Flacce;
  Grassari virgis tu ferulaque soles.
Quod facile haut condono aliis, ignosco scholarchæ;
  Verbera contineas, sat tua verba pati.

73. In Othonem, qui clientes carmina gratulatoria sibi offerentes in sella patrocliana sedens excipere solet.

Stercorea in sella gratantes Otho clientes
  Excipit ac cunctis omnia fausta vovet.
Oppedit atqve optat venientibus integra regna,
  Divitias Crœsi, et qvæ dare nemo potest.
Splendida vota facit, non dât nisi sordida dona.
  Totum optat Latium; sed tibi dat lotium.

74. In medicum Samsonem, qui nimio lacte asinino Phthisicos dicitur vexare.

Mille homines Samson maxilla asini trucidavit.
  Lacte asini plures noster at hicce necat.

75. In Olum, nuper coqvum, jam senatorem.

Egregius cœnator eras, eris, Ole, senator
  De grege! Curia sic atque culina gemunt.
Namque culina forumque simul graviter patientur,
  Hoc quod jus dices, illa quod haud facies *),

*) Sc. jus, jusculum.

76.

Campos, Rufe, colis, noster colit Otho Camœnas;
Ille hinc nobilior; tute sed utilior.

77. De paupere sed bene morata virgine, quam amico commendat poeta.

Quæ bene morata est, satis est dotata puella,
Cum sponsa venient et tibi dos et honos.

78. Ad Olum.

Egregios mirare viros reptare per urbem,
Bardos sublimes curribus, Ole, vehi.
Quid mirum! plaustris vectentur pondera terræ,
At pedibus binis ire tenetur homo.

79. Non hospes ab hospite tutus.

Verius hoc nihil est: *non hospes ab hospite sospes*,
Cimicibus surgens dilaceratus ais.

80.

Assiduus cultor magni Caji ac Molinæi,
Hæredi haud asses liquit Anilo duos.
Posthabito Cajo, Cajam coluit Theodorus;
Inde diu prætor, postea dives obit.
Nam versare molam muliebrem, quam Molinæi,
Nobilius si non, est tamen utilius.

81. In senatorem, qui in senatu identidem pedere solet.

Stercoream sellam dicam, dicamne tribunal,
In quo jura soles et dare thura simul?

82. A singulis potius senatoribus, quam a toto simul coacto senatu consilium petendum est principi.

Si vis consilium sanum tibi, consule plures;
Unius intutum fidere judicio.
Si plures, mentem tibi dicat quisque seorsim;
In cœtu nam vox omnibus una sonat.
Collecti in unum suasores sæpe trahuntur,
In partesque abeunt unius eloquio.

Invida mens, livor, dicendi gloria et ardor
  Impellunt mentes præcipitantque simul.
Disjuncti torres lente incenduntur et ardent,
  Conferti in flammas protinus ire solent.
Concilium hinc magnum fuge, copia consiliorum
  In rebus dubiis est adhibenda tibi.

83. An satyra recte derivatur a saturo.

A saturo satyras derivas, sed satyrarum
  Scriptores raro, Papile, sunt saturi.
Jejuni mordent; heroica carmina scribens
  Est satur, aut sperat se fore mox saturum.

84. Ad Flaccum.

Obscenum factu quod non est, est neque dictu;
  Actio nam verbis turpior esse solet.
Urinæ hinc si mentio sit, non turpe putetur,
  In triviis cunctis mejere quando licet.

85. De fide carbonaria. Ad Theodorum.

Urbs quicquid credit cæce quoqve credit Anilo;
  Dicitur hinc verax atque fidelis homo.
Tu, Theodore, nihil nisi facto examine adoptas;
  Diceris hinc mendax hæreseosque caput.
En quales messes, quid adeptus sis meditando!
  Perversi titulum scilicet hæretici.
Ille tamen vivens sine cura examinis ulla,
  Solam ob segnitiem sanctificandus erit.

86. Ad Faustinum.

Excuso errores, errorum semina damno;
  Doctrina, haud error, nam facit hæreticum.
Est aliud sentire, aliud, Faustine, docere;
  Hoc cohibere opus est, id tolerare licet.

87.

Non est interpres solus, qui prædicat; ille est
  Interpres solus, qui erudiendus erit.

Tu profers credenda, sed is perpendat habenda
  Sitne fides dictis, an tibi nulla fides.

88. De sympathia in oscitationibus.

Oscitat unus homo vulgo, quando oscitat alter.
  Sic cæce veterum dogmata quisque colit.

89. Ad Sextum.

Inter convivas vulgo est doctissimus ille,
  Impensis cujus cœna parata datur.
Eligit is theses, dat materiamque loquendi.
  In studium reliquos castra trahitque sua.
Patroni impense mirantur verba clientes;
  Hoc dicente silet tota coacta cohors.
Si vis, Sexte, loqui, nemo audiet; hic moderator
  Solus discursus atque silentii erit.
Dixerunt quidam *), sapientes sceptra tenere;
  Verum munificus rex sapiensque cluet.

*) Stoici.

90.

Judæos, Turcas damnans, damnabis eosdem
  Nascendi ob sortem sæpius atque locum.
Esses Judæus, si Judæ ex stirpe creatus;
  Byzanti natus, Papile, Turca fores.
Hæc vulgo fieri quoniam experientia monstrat,
  Damnandi ardorem te cohibere decet.
Ista Dei crisi justæ solique relinques:
  Judicium nostrum regula nulla Deo.

91. In Godofredum Arnoldum tolerantiæ perpetuum præconem.

Vix mihi persvades, quod sis tolerantiæ amicus.
  Te magis intolerans vix datur ullus homo;
Qui latrat, mordet, perstringit dogmata cuncta.
  Vestitus, ritus qui tolerare nequit,
Omnia cui sordent, fuerint modo lege statuta,
  Omnibus infestus non nisi se tolerat.

92. Ad Faustum.

Tristia non mirum est amplecti dogmata tristes,
Queisque ob mærorem sanctificatur homo;
Relligio nam nulla animo sit gratior ægro,
Quam quæ virtutum nomina dat vitiis,
Quæque docet morbos fœdos cœlestia dona,
Ac totidem motus esse pios animæ.
Ut si gibbosum, blæsum, si quem pede claudum
Laudares, jurans corporis esse decus:
Quo non applausu te talia, Fauste, docentem
Audiret, dictis annueretque tuis?

93.

Distinguas inter doctum docteqve loquentem;
Indocti docte sæpe loquuntur enim.
Qui loquitur quæ vult, non doctus habendus; at ille,
Qui loqvitur qvæ vis, doctus habendus erit *).

*) Qui ad quæstiones docte respondet.

94. In eos, qui negant providentiam propter tot existentia mala.

Non curare homines Numen, putat impius, orbem
Tot vitiis pressum cum videt atque malis;
Nil magis est falsum, cum constet quod bona nulla
Terris exstarent, si mala nulla forent.
Sensus justitiæ nullus, si injuria nulla,
Sique dolor nullus, gaudia nulla forent.
Tollere namque unum si tentes, tollis utrumqve;
Nexu adeo firmo sunt mala mixta bonis.

95. Refutatur error eorum, qui consultius esse credunt, ignavi ac rudis, quam strenui et perspicacis hominis in muneribus publicis administrandis opera uti. Ad Theodorum.

Errant, qui credunt conferri munera tuto
Indoctis, rudibus, simplicibusque viris.
Ajunt nempe homines, si sint ad munia inepti,
Esse quoque haud aptos ad facienda mala.
Ut ferrum obtusum sit ineptum exsorsque secandi,
Sic neqvit ob vitium lædere stultus homo.

Ars ubi nulla, dolus nullus; fallacia sola
  Solo a fallaci nectitur artifice.
Inde domus rimas omnes qvi noverit, is est,
  Cui soli debes claudere nempe fores.
Tutius esse putant igitur, si munera dantur
  Ingeniis rudibus simplicibusque viris.
Ast ignarus homo bonus aut malus est reputandus;
  Quicquid erit, compar defluet inde malum.
Namque malus si sit, quis nescit monstra stupenda,
  Quæ junctus torpor cum improbitate parit.
Sique bonus, nihil ipse facit, pravoqve ministro
  Utitur, atqve eadem sunt metuenda mala.
Sub domino stolido servus versutus et audax
  Impensis domini crimina cuncta patrat.

96.

Nomina virtutum, vitiorum sæpe novantur,
  Ut ratio est hominum, temporis, atque loci.
Spartæ quod gravitas, fastus dicatur Athenis;
  Quod decus est Græcis, dedecus Ausoniis.
Hic furor ac rabies, illic heroica virtus,
  Quodque amor heic patriæ, seditio sit ibi.
Quando penes populum rerum sit summa potestas,
  Nemo bonus plebem respicit atqve colit.
Regio at imperio vel sceptra tenente senatu,
  Cultus plebejus sit nota magnanimi.
Sæpius eventus rerum dat nomina rebus
  Resque eadem virtus dicitur atque nefas.
Hinc vindex audit patriæ, qui crimina tentat;
  Criminis eventus nempe coronat opus;
Quique ad virtutem magno conamine tendit,
  Si male succedat, proditor urbis erit.

97. In tyrannidem stomachi sui invehitur poeta.
Ad Anilonem.

Servus ab ingenuo non valde distat, Anilo;
  Certo nam domino subditus omnis homo.

Ambitio, mæror, lucrum, timor, ira, voluptas,
Mortales frenant perpetuoque domant.
Præter heros tantos, qui sæve adeo dominantur,
Morbi nos subigunt servitioque premunt.
Unius ob membri vitium tu servis, Anilo,
Est mihi crudelis sic quoque venter herus.
Hic jubet abstineam sapidis, ut vescar amaris,
Tempora certa epulis imperat atqve modos.
Si injussu stomachi jejunia solvere tento,
Febres intentat, fervida bella movet.
Hujus sic nutu dependet tota voluntas;
Audeo nil, venter ni dare signa velit.
Crudum te *) dicunt medici; crudelem ego dico;
Tu me carnivorum **), te voco carnificem.

*) Apostrophe. **) Fingit ventrem secum rixari propter esum carnis, quam respuit.

98. In eos, qui magnatum aulas frequentant et titulos minime sibi convenientes captant.

Mactatus titulis cum sis, quadrisque potentum
Assiduus, socios spernere sæpe soles.
Rebus tu miseris et iniqua sorte superbis.
Pauperis hæc vita est ridiculique simul.
Deformi tunica *) nam cogeris ire per urbem,
Atque cibo pasci, quando placebit hero.

*) Qui titulum captat sibi non convenientem, uti solent cives nostri, est ut ille, qui vestibus corpori male adaptatis ire per urbem gestit.

99. Prognosticon. De anni tempestatibus, mensibus et diebus certis hominibus noxiis.

Creditur haud dubie fatalis amantibus æstas,
Autumnus criticus febricitantibus est.
Furibus est splendor lunæ [1]) damnosus habendus.
Lux Phœbi scortis pellicibusque nocet.
Sunt mercatori quoqve Junius atqve December
Pestiferi, vulgo debitor hisce perit [2]).

October pavidis muscis stragem minitatur,
Musico at exitio [3]) Martius esse solet.
Augusto semper caveant sibi mense poetæ,
Infestus doctis vatibus ille cluet.
Causidicis est temperies terræ metuenda [4]),
Est medicis cæli noxia temperies [5]).
Cornigeris valde tristis solet esse November [6]).
Tristia cornutis omnia tempora erunt [7]).

[1]) Tutius furantur nocte illuni. [2]) Scilicet undecimo die, qui est terminus solutionis in his regnis. [3]) Ob tempus quadragesimale, in quo silet musica. [4]) Pax et quies, quoniam litibus et turbis aluntur. [5]) Quia tunc sani homines non opus habent medico. [6]) Quia initio hujus mensis mactari solent boves. [7]) Qui perfidam habet uxorem, ad omnia phænomena trepidat, et toto auno infelix est.

100. In musicum Malchum et cornutum Faustum.

Horrisonum strepitum dant ærea cornua Malchi,
Carnea dant fletum cornua, Fauste, tua.

101. Ad Sextum.

Erras si annumeres, tota urbs cum captet honores,
Me nimis abjectis, ambio quippe nihil.
Ausim dicere, quod te sim magis ambitiosus;
Non tituli ante oculos, sed mihi verus honor.
Esse aliquid conor, non ambio, Sexte, vocari;
Ambio distingui moribus ac studiis.
Solis, qui vanos fumos sectantur et umbras,
Ambitio nulla est, nullus honoris amor.

102. In chirurgum Linum.

Bello et pace simul sunt pauci qui dominantur,
Egregius tamen est arte in utraque Linus.
Vulnera nam Martis, Veneris simul ulcera sanat;
Bello et pace simul vir celebrandus erit.

103. In Storacem, qui thura et aromata vendendo opulentus factus est.

Vendens thura Storax emit nuper tria rura;
Merx levis emptori commoda tanta dedit.

Nam raro aut nunquam fuit illi clausa taberna,
Crura movens toto tempore thura dabat.

104. In Aruntem, cui filium nomine Prætorium studiis et moribus erudiendum dedit pater Otho.

Præfectus Prætorii, Aruns, es jure vocandus,
Curæ quod gnatum tradidit Otho tuæ.

105. Monitum ad novum maritum Sextum.

Felix si vis esse domi, si uxoris amorem
Reddere vis stabilem, Sexte, labora et ara.

106.

Malo, uxor re sit meretrix, sed casta putetur,
Quam sit casta, notam sed meretricis habens *).
Nam si cornutum ridet me urbs tota, perinde est
Ac si revera cornua fronte fero.

*) Omnium opinione.

107. In consulem Leonem virum obesi corporis.

Consilio quoties loquitur Leo consul obesus,
Verba ejus magni ponderis esse scio.

108. Cur magnates ac divites vulgo dicuntur patroni.

In patria quoniam cumularis honoribus, ergo,
Quando onus es patriæ, jure patronus eris.

109. Ad Theodorum.

Proceræ ut quercus proceres quidam *), Theodore!
Nullos dant fructus, sed folia atqve comas.
Immodice crescunt succum viresque adimentes
Frugiferis plantis arboribusque bonis.
Cæduntur tandem maturæ, at sæpe cadentes
Secum conspicuas fertilitate trahunt.

*) Illi qui solo fortunæ favore crescunt.

110.

Quando senex vetulam ducit, juncti sociantur
Non unam in carnem, sed magis in cariem *).

*) Cariosa dicitur senecta.

111. De conciliis ac synodis.

Per voces plures synodis statuuntur agenda,
  At credenda secus; nam sua cuique fides.
Est stultum mandare aliis, jubeant statuantqve,
  Quid mihi sit verum, quæque tenenda fide;
Est mihi nil verum, quod verum haud esse videtur;
  Credere, quod jubeor credere, nulla fides.

112.

Pactus Strato Leæ est pro usura corporis usum;
  Concedit venerem fænoris illa loco.
Cui nihil in censu est, quo solvat, corpore solvat.
  Hanc pœnam prætor sæpe jubere solet.

113. De tempore usucapionis in lege Danica.

Non jubet hic lex nostra dies, annos numerare,
  Sed noctes, hyemes, ut mea res tua sit.
Hinc usu capitur vix uxor justius usquam;
  Nam noctes solet hæc, non numerare dies.

114. In grammaticum, qui Apicium in usum Delphini edere molitur.

In Delphini esum, non usum, sit liber iste,
  Edere quem curas; nempe edere ille docet.

115. In censorem malignum.

Carmina crimina sunt, quot commata, scommata scribis;
  Insultas verbis verberibusque simul.

116.

Febre laborantem tu ploras non sine causa
  Matronam, cujus creditor, Ole, sies.
Non potis est sortem tibi solvere pauper Anyta;
  Usuram solam creditor inde capis.
Intereaque tenens corpus pro pignore sortis,
  Cum sorte usuram perdere morte times.

117. In Storacem antiquarium.

Nauseat omne novum Storax, sequiturque vetusta;
  Sunt prisca in pretio, sola vetusta placent.

Ob cariem cara est uxor carique libelli,
Antiquis labris ducitur atque libris.

118. In Anytum.

Esse mihi crassum cerebrum tu dicis, Anyte!
Sit, fateorque lubens pertenue esse tuum.

119. Ad Theodorum.

Infelix si sis, contemptus eris, Theodore!
Si felix, odiis invidiæque pates.
Est vere felix, qui nec felix nimis exstat,
Nec nimis infelix; obstet utrumque tibi.

120.

Irasci turpe est, iram sed fingere *) fas est;
Sic simulata ira sit stimulandus eqvus.

*) Simulare se iratum esse, ut excitentur inertes.

121.

Res onerosa homini sæpe intoleranda vocatur,
Nempe quod hanc ægre mollis homo patitur.

122.

Non ut tollantur, sed ne vincant subigantque,
Aggreditur prudens inveterata mala.

123. Ad Faustinum.

Si bonus insidias tibi tendit, credere noli;
Mirari noli, si sceleratus homo.

124.

Est homini turpe ac fœdum vinci benefactis;
Offensa atque odio vincere turpe magis.

125.

Est fortis vel iners, qui te, Theodore, lacessit.
Vel parcas fragili, vel, Theodore, tibi *).

*) Nempe si sit robustior.

126. Ad Mamercum.

Est satius, præstatque iram, Mamerce, relinquas,
Quam maneas, ut te sponte relinquat ea.

127. Invidiæ nulli fines.

Invidus es adeo, ut si felicissimus esses,
Mæreres tandem prosperitate Dei.

128. Ad Olum.

Fortunam adversam tempestatumque procellas,
Omnis, qui exspectat, fortiter, Ole, ferat.

129.

Aut raro aut nunquam satiatur dira cupido;
Nam cum possideas plurima, plura petis.
Ut quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
Si tibi divitiæ, vani captantur honores,
Plura doles aliis, si tibi utrumque datur.
Perdis cuncta at cuncta tenens. Est nempe voluptas,
Si, quod adhuc speres, scis superesse tibi.

130.

Nolle eadem validus firmusque est nexus amoris;
Velle eadem sæpe est causa et origo mali.

131.

E patria sapiens solus neqveat relegari;
Virtutes secum ducit in exilium.

132.

Non te comminuit fortuna adversa, sed illum,
Cui fortuna nimis prospera verba dedit.

133. Ad Olum.

Prosperitas illæsa levem non sustinet ictum;
Passa malum nullo frangitur, Ole, malo.

134.

Nil sene turpius est ex sola ætate probante,
Se vixisse diu; nam senium acta probent.

135. Ad Sextum.

A foribus Marci patroni sæpe repelli
Verbis te qvereris verberibusque simul.

Janitor in causa est, cujus tibi, Sexte, favorem
Munifica dextra conciliare licet.
Offis atqve cibo soleo placare Molossos *);
His mediisque domus quælibet ampla patet.

*) qui portas custodiunt.

136. Ad Aruntem.

Nemo ad supplicium veniet, ni exhauserit artes
Curandi, medicum sic imitando pium!

137. Laus senis pudici.

Canities cum te fecit, Faustine, pudicum,
Non pudor est, verum lassa libido magis.

138. In Fabullum, qui philosophum se jactat.

Nil cupio aut metuo, dicis; tibi credo, Fabulle,
Cum brutis quoniam multa frequentia habes.

139. Ad Papilum.

Credunt se quidam fortunæ casibus esse
Subductos, cum se desidiæ dederint:
At fortuna ubi nil habet extra quod petat armis,
In se vi tota, Papile, sæpe ruit.

140. De temporis brevitate querelæ.

Temporis haud pauci suspirant ob brevitatem;
At nostro vitio portio magna perit.
Vita satis longa est, essent si tempora vitæ
Transacta a nobis atque locata bene.

141.

Succurres, non accedes lacrymis alienis,
Cum misero haud plora, sed misero fer opem

142. Ad Artemidorum.

Rebus in antiquis, cum sit tibi classicus autor,
Si testem profers, Artemidore, novum,
Est ac si causam dicturus, non Cicerones,
Verum Cerdones vis adhibere foro.

143. In mores seculi acerba invectio.

Quando ævi nostri contemplor tempora, mores,
Cum vate ingemino carmina salsa, dolens:
Naso Tomitanæ jam non novus incola terræ,
Hoc tibi de Getico littore mittit opus.

144.

Vir levis, ut molitor, mola cui versatilis, omni
Quo vento atque aura scilicet ille molat.

145. In fabrum stannarium consulem factem.

Simplex tu civis solitus sis fundere stannum.
Confundis consul, Calliodore, statum.

146. Ad Olum.

Numen quando ores, orandi est causa silenda.
Qui causas profert, exprobrat, haudqve rogat.
Nam laceras vestes domino qui monstrat, eundem
Accusat potius, quam petit, Ole, novas.

147.

In cathedra est solitum tibi dicere, vir venerande:
Fac ea quæ doceo, non ea quæ facio.
Ægroto at medico, proprias si respuit herbas,
Quas aliis mandat, nulla adhibenda fides.

148. In Afrum olim lenonem, nunc lanionem.

Humanam carnem quondam venalem habuisti,
At nunc taurinæ venditor, Afer, eris.
Tunc juvenes, at nunc vis excoriare juvencos.
Fecisti leno, quod facies lanio.

149. In Anytum natura mendacem.

Quod vitium vulgo mendacium, Anyte, vocamus,
Est connata lues, febris avita tibi.

150. In triumviratum, quem maxime sibi infensum experitur poeta.

Armis haud opus est junctis invadere inermem;
Ut prosternar ego, sufficit una manus.

Pompejus, Cæsar, Crassus si fœdera jungant,
Nutabunt urbes, Roma vel ipsa tremet.
In misere ægrotum vires sociare pudendum.
Viribus his dignam qværite materiam.

151. Hortatio ad amicum, ut mari fortunam tentet.

In sterili, Theodore, solo cum nulla salus sit,
Quære salum, tibi sors æquior æquore erit.

152.

Exosus nemo est adeo, qui non placet uni;
Otho quidem nulli, sed placet ipse sibi.

153. In censorem librorum suorum.

Scribere ego pergam, male me describere perge;
Aures præbebo, convitiare modo.
Lassus eris potius probrosis lædere verbis,
Quam tua lassus ero verbera, Flacce, pati.

154. De pretio affectionis. Ad Cloridem.

Sunt res, queis pretium nequeas imponere certum:
Nam pretium minuit frigus et auget amor.
Sic tua virginitas aliis magni facienda,
Forsan ab Ebræo non sit emenda obolo.

155. Naturalia non sunt turpia. In Anytum.

Tu cum mentiris, quod naturalia non sint
Turpia, fidenter dicere, Anyte, soles.

156. In parasitum.

Orbem purgavit clava Tirynthius heros.
Orbes tu purgas ingluvie atque gula.

157. In hominem crudi ventris.

Æolus excelsa quondam regnabat in arce;
Nunc arca ventris clauditur ille tui.

158. In hominem stupidum.

Quo tua, Sexte, luto finxit præcordia Titan,
Nescio; facta tamen conspicor esse luto.

159.

Exceptis terris Batavis, Deus omnia finxit;
Formarunt Batavi littora namque sua.

160. In Afrum, qui viginti liberos ex uxore Barbara genuit.

Inter nostræ urbis cives non infimus Afer.
Noscitur ex Barbra, quanta sit hasta viro.

161. Ad sculptorem, qui effigiem Veneris venalem offert.

Sculptam, Petre, mihi Venerem mittendo, talentum
Pro statua poscis; poscere jure potes.
Ista mihi at pellex nimis est pretiosa supellex;
Emptor quærendus sit tibi, Petre, Paris *).

*) Formarum æstimator.

162. In pictorem, qui in pariete Musæi nostri duodecim signa Zodiaci penicillo expressit.

Zodiaci e signis bis sex, quæ pinxit Amyntas,
Nostro in Musæo, non nisi Virgo placet.

163.

Bellis perpetuis se præparet omnis amator;
Induat arma Paris, namque Eris est ubi Eros.

164. Veritas vino elicitur. Ad Olum.

Quæ torquendo neqvis, poteris reserare bibendo.
Elicitur verum certius, Ole, mero.

165. In mortem Samsonis.

Nullius mortem magis optavere Philistæ,
Morteque nullius tam doluisse patet.

166. Ad amicum morti vicinum.

Cum res turbatas moriens componere nolis
Te veluti Samson judico velle mori.

Herois tanti sane est imitatio pulcra,
  Integra namque domus cum moriente cadit.

167. Responsio ad literas consolatorias.

Te mærere mei testaris morte parentis,
  Quod cœlum nactus sit nimis ille cito.
Grates nos agimus, simul imo ex corde precamur,
  Ne in cœlum veniat tam cito, Flacce, tuus.

168. In Amyntam.

Intestinorum morbo vexatur Amyntas,
  Hunc medicus Marcus crebro equitare jubet.
Jussis rite paret, nam mulam luce fatigat,
  Qua missa, famulam scandere nocte solet.

169.

Unica relligio quondam fuit, unica lingua;
  Discordes certum nusquam habuere locum.
Dogmata sed Batavi, lingvas junxere Britanni;
  Dissidii heic tandem finis utrique fuit.

170.

Romani credunt obscura volumina sacra;
  Nemo tamen scriptis explicat illa satis.
At Protestantes, qui dicunt omnia clara,
  Hæc tamen illustrant innumeris scholiis.

171.

Quæstorem fisci fieri, res mira, spadonem;
  Calculum *) enim nullum, quem bene ponat, habet.

*) Per calculos heic sæpe intelligimus testiculos.

Liber tertius.

1. In Auctum judicem.

Personas nunquam, sed causas respicit Auctus,
Clausis hinc oculis dicere jura solet.

2. Fortitudinem, quam beneficium aëris producere existimant philosophi, solis exemplis ac institutis adscribit poeta.

Ad Olum.

Fortes, imbelles, solertes credis, inertes,
Nasci mortales; at fieri, Ole, puto.
Mollis jam Roma est, olim fœcunda virorum;
Græcia tunc pugnax, nunc ea mollis, iners.
Cadmi verveces ductore sub Epaminonda
Soli virtutem, fortia pectora habent.
Cum duce vanescit virtutis gloria, fiunt
Verveces, prisco tempore sicut erant.
Ergo, quæ tu inter naturæ munera ponis,
Legibus hæc solis attribuenda puto.

3. Cur Olus titulo tantum doctor est.

Cum titulos solos librorum lectitat Olus,
Non re, sed tantum nomine doctor erit.

4.

Non das, sed vendis leporem, quem mittis, Amynta!
Talia dona onerant, officit officium.
Sic das, ut, si addas aliud, tibi dicere possim,
Me exhaustum donis reddere posse nihil.
Vectigal, servus *), vecturaque si numerentur,
Hoc leporis dono nil magis est lepidum.

*) Servus, cui pulveraticum dabitur, vulgo Trinckgeld.

5. De novi anni gratulationibus.

Anni prima dies aderit, jam claudite portas
Objicibus firmis, vectibus atque seris.
Omnis enim furit urbs, velut æquora concita ventis,
Innumeros homines strata viæque vomunt,
Qui cursu properant rapido, quique agmine facto
Effringunt valvas, vi faciuntque viam.
Observate, precor, Bessum per densa volantem
Agmina grandævum decrepitumqve senem.
Qui, cum condita sit prope jam centesima messis,
Et facies multo splendeat alba pilo,
Discurrit tota vagus urbe citatior igne,
Cæruleo facies totaque rore madet.
Observate Linum, cuneo cubiti removentem,
Cunctaque sternentem, cum velit esse prior.
Unda tibi decumana magis non est metuenda,
Nimbis cum piceis horrida sævit hyems.
Si quæris causam, quæ tantos excitat æstus,
Fit vano ut sonitu vociferetur: *ave.*

6. Omnium morborum atrocissima est hypochondria, quæ ægrotos misere vexat, et exosos simul reddit. Ad Sextum.

Sexte, diu mecum morbo vexaris eodem;
Humores acres nos cruciare solent.
Cum mihi sit morbus circum præcordia versans,
Exosus, querulus, difficilisque vocor.
At te ægrotantem plorant, miserantur amici,
In pedibus morbi vis quia tota sedet.
Comiter excusant te, cum saltare recusas;
Immunem clamant, namque podagra tenet.
Inter convivas at me cantare negantem,
Fastosum, qverulum, difficilemque vocant,
Cum minus ardua res tibi sit saltatio, Sexte,
Quam sit cardiaco psallere sæpe mihi.

7. Ad Flaccum.

Ad vitam moresque hominum cum lumina flectis,
Occurruntque animo luxus opumque fames,
Lætitia et mæror, votum, timor, ira, voluptas,
Ardor, contemptus. frigora, cæcus amor;.
Rursus brutorum gressus, conamina cernens.
Cunctaque quæ faciunt ordine rite suo;
Præstigiatores homines, mimosque creatos.
Bruta ut delectent, credere, Flacce, potes.

8. In Papilum, qui formosam virginem custodem tabernæ constituit.

Formosam gnatam præponis, stulte! tabernæ,
Cui placido fulget dulcis in ore nitor.
Non cuperem, si fur essem, spoliare tabernam,
Custodis potius, Papile, raptor ero.

9. Ad Papilum.

Miraris, pauci quod jam sint, Papile, docti:
Verum quod tot sint, Papile, miror ego.
Sint Mæcenates, magni surgant quoque vates,
Nasonemque tibi vel tua rura dabunt.

10. Inter bibliothecas, quæ novissimo incendio Hafniensi perierunt, sunt qui et numerant bibliothecam poeticam Lini, quamvis illa perierit aqua.

Cum sæviret in hanc urbem Vulcania pestis,
Abdidit in puteum carmina serva Lini;
Elegit prudens contraria flumina flammis.
Vulcano opponens æquoream Thetidem.
Sic si fecisset Matho dispensator aquarum.
Regia metropolis salva stetisset adhuc.

11. Ad Olum.

Formosas inter binas vesana sorores,
Fervet eris, cui par non Paris ipsus erit.
Litis materia et fomes præstantia formæ;
Arbiter electus deprecor arbitrium;

Judicium Paridis spretæque injuria formæ
  Obversans oculis me trepidare jubet.
Nota mihi satis est contemptæ virginis ira,
  Iram theiologi non timeo, Ole, magis.

12. In amicum importunum, qui amicitiæ nomine cuncta sibi licere putat.

Ad cœnum potius, quam cœnam me vocat Afer;
  Fœdere amicitiæ cuncta pudenda tegit.
Semper me fallit, ludit, subsannat, amice,
  Ignoscat, dicit, noster amicus Aruns.
Cum vomit aut ructat, culpam prætexit honesto
  Nomine amicitiæ, cuncta licere putans.
Cumque urina premit, signum dat pollice amico,
  Audacter matulam ferre jubetque sibi.
Restat ut uxorem sub eodem nomine amico,
  Restat et, ut gnatas comprimat ille meas.
Afer amice! utinam mihi sis constans inimicus,
  Cum tanti nobis stet socialis amor.

13. Scriptus liber non semper est scribentis imago.

Cum bile atqve jocis sparguntur carmina nostra,
  Aut videor mordax, aut puerilis homo.
Errant censores; satyras non scribo malignus,
  Frontem corrugo, carmina quando jubent.
Fabellas fingo, non risus magnus amator,
  Ni risum moveat fabula, nulla valet.
Scriptus sæpe liber fallax scribentis imago est.
  Vita verecunda est, musa jocosa mihi.
Sic defunctorum laudes cum prædicat Afer,
  Non ideo est mendax, fallere sermo jubet.
Hic non censuram, sed sola encomia poscit,
  Ut bilem ac risum carmina salsa jubent.

14. Prosodiæ primus inventor poetarum carnifex dici meretur.

Inter carnifices hominum numerandus erit, qui
  Leges carminibus primus in orbe dedit:

Quique pedes. numeros, mensuram et pondera sanxit,
Qvique obices posuit vinculaque ingeniis.
Nonne satis vati est mendacia fingere grata?
Nonne satis liquidum fundere ab ore melos?
Nonne satis, dictis si monstret acumina mentis?
Ni sit torquendus compedibus, pedibus.
Qui leges tulit has, commentus carnificinam,
Carnificis nomen carminifex meruit.

15. Efficacissimus orator est, cujus mores dictis respondent. Ad Auctum.

Sollicite quæris, quis rhetor maximus, Aucte!
Ille est qui vita ac moribus, Aucte, docet.

16. Cum cuncta dicantur renasci, non miror toties virginitatem Laidis renasci.

Multa renascuntur, quæ nunc cecidere, caduntque.
Lapsa igitur surgis virginitate nova.

17. In plebejos homines, qui acta magistratuum semper vellicant, quorum ignorantia detegitur, cum ipsi ad publica munia evehuntur. Ad Papilum.

Censorem populi Flaccum, strigilemqve senatus
Prætorem nobis plebs male sana dedit.
Exspectata seges vanis elusit aristis.
Omnia cum saperet, jam sapit ille nihil.

18. Comica poetæ descriptio. Ad Posthumum.

Est divinus homo, cui fœda et scissa lacerna,
Qui nec habet tenuem, quæ tegat ossa, cutem.
Est homo, quem sterili cithara dignatur Apollo;
Eximius, clarus, squalidus atque miser.
Frondosam laurum gestans ac cornua fronte,
Pocula cui Phoebus plena ministrat aquis;
Laurigeris nam dulce merum non miscet Apollo;
Solis causidicis nascitur iste liquor.

19. Descriptio rabulæ. Ad Faustinum.

Vis tibi describam rabulam, Faustine, Fabullum;
Est animal lautum, cui lutea est anima;
Flens cum flere jubes, gaudens gaudere coactum,
Omne quod eloquii diluit arte nefas.
Cui lis una valet sexcenta poëmata Homeri,
Ære levi vates nam dare verba solent.

20. De medico Theodoro, qui cum pecunias mutuo sumit ad primam febrim se soluturum promittit.

Fœnore sumturus nummos medicus Theodorus,
Cum dat chirographum, scribere sæpe solet:
Ad primam solvam febrim; namque ille calendas
Non sequitur pauper, nec valet ille sequi.
Creditor hinc febres crebras ac debitor optat;
Hinc urbem totam febricitare vides.

21. Cur Linus dicitur hæres ex asse.

Assem decedens solum Faustina reliquit.
Hæres est igitur verus ab asse Linus.

22. Lites etiam vincentes consumunt. Ad Amyntam.

Miraris Flaccum quod sit tam nudus inopsqve,
Cum septem lites vicerit ille foro.
Palmarum numerus mendicum fecit, Amynta!
Vincit enim rabulis, destruit omne sibi.

23.

Reges Gallorum delphinos gignere constat,
Uxores nostræ sed pariunt homines.

24. Cum tot heroës ac monarchiarum fundatores sc. Cingiscanos, Tamerlanos, Bajazetos, producit Asia, Orientem Europæ eo nomine præfert Sextus, cujus tamen opinionem refellit poeta, exponendo causas, cur tot heroës ac semideos pariat Oriens.

Cur tot victores Oriens fert atque monarchas,
Cum tot verveces gignit, alitqve simul;

Ac cur magnorum genitrix Europa virorum
 Heroes tantos haud generare valet?
Hoc referas inter tenebrosa ænigmata; verum
 Monstrabo hoc dictis expediamque brevi.
In flammas rapidas crescit neglecta favilla;
 Flumina ni sistas, obruta terra jacet.
Sic furit atque artus depascitur arida febris,
 Absque manu medica serpit et omne malum;
Obscuros homines tolli ad fastigia rerum,
 Si nihil impedies, tempora cuncta vident.
Hinc Asiam totam citius sibi subjicit heros,
 Quam minimas gentes heic premat ille jugo.
Nam tremit heic victor, ubi tot sunt fœdera juncta,
 Tot vigiles oculi tot sociæque manus.
Nempe ut in aleola collusores sociantur,
 Vincentique dolos insidiasque struunt,
Fœdera sic faciunt reges populique minores,
 Atque in victorem vis sociata ruit.
Sub Carlo quinto dominatur Iberia victrix,
 Imperiosa nimis cum domitore cadit:
Europæ fulmen Gallorum Rex Ludovicus,
 Terrificans alios, ultimus ipse tremit.
Rex Sveonum pugnax armis qui territat omnes
 Vicinas gentes, exulat, errat inops.
Ast inter cæcos dominantur in orbe strabones,
 Est heroum Oriens fertilis inde magis.
Si surgat princeps natura factus ad arma,
 Nectere quique dolos insidiasque queat,
Incautas gentes instar torrentis inundat.
 Cernimus has laqueis tendere sponte manus.
Hinc Europa duces paucos, fœcunda virorum,
 Brutorumque ferax numina fert Oriens.

25. Quod cito fit, cito perit, id quod etiam exemplis regnorum ac imperiorum monstratur. Ad Olum.

Rerum, quæ lente crescunt, duratio longa est;

At quod fit subito, disperit, Ole, cito.
Crescit namque diu duratque diu Jovis arbor;
Noctis opus, fungus, nocte perire solet.
E pullo subito fit equus, sed lentius infans
Dum crescit, longa luce beatur homo.
Tarde quod discis, manet alta mente repostum;
Quod subito, tanquam fumus et umbra perit.
Est natura eadem regnorum atque imperiorum;
Namque pari fato subjiciuntur ea.
Pellæi juvenis superaverat impetus orbem,
Hinc subitum regnum cum domitore cadit.
Ætates aliquot crevit Mavortia Roma,
Orbe hinc invito tot quoque secla stetit.
Ætatem totam cum crevit Iberia, totam
Ætatem stetit hæc imperiosa simul.
Has leges natura igitur cum sanxerit, inde
Cur tibi jam metuam maxima causa mihi,
Cum fueris consul subito e tonsore creatus,
Ne te in tonstrinam sors nova denuo agat.

26. Solus ille theologus est, qui theologice vivit.

Dicitur is verus medicus, qui vulnera curat,
Non cui morborum sola scientia erit.
Egregius quoque pictor is est, non qui docet artem,
Sed qui Parrhasii fingere noscit opus.
In sacris igitur studiis est maximus ille,
Cujus non sermo, sed pia vita docet.

27. In Flaccum advocatum, qui jam causas gratis agit.

Jam dat verba mihi Flaccus, quæ vendidit olim.

28. Cum verbero Davum verba mihi dantem, fit secundum contractum, das ut dem.

Cum Davum cædo, fit permutatio mercis.
Verbera nam reddo, dat quia verba mihi.

29. In Quinctilianum Hæretificem. Ad Papilum.

Vis zelatorem depingam Quinctilianum.
  Est vere credens atque superbus homo.
Humani generis judex, damnator et actor;
  Quisquis non secum sentiat, impie agit.
Edoctus solus magni mysteria cœli,
  A capite ad calcem noscitat ille Deum.
Notum est consilium, nota est divina voluntas.
  Scit quid facturus, quid faciatque Deus.
Credentique aliter claudit crudelis Olympum,
  Invitoque Deo nuntiat omne malum;
In misere errantes regum quoque provocat iras,
  Ni credant, captum quæ superare putant.
Sique virum jubeas mandata ostendere cœli,
  Iratus secum credere cuncta jubet,
Ac si, quod velit aut jubeat Deus, ipse juberet,
  Ac si illi soli mens animusque siet.
Hinc homines alii aut damnari velle putentur,
  Perpetua aut mentis, Papile, nocte premi.

30. Laudatur epitaphiorum scriptor Auctus ob facilitatem, cum omnes promiscue defunctos inter sanctos referat.

In genus humanum quis munificentior Aucto,
  Puros, impuros mittit ad astra viros.
Omnes nam laudat defunctos ære minuto,
  Atque facit Divos assibus ille tribus.
Cumque salutem hominum facili sic carmine signet,
  Janitor hic cœli jure vocandus erit.
Janitor at caveat, ne ipsi sibi claudat Olympum,
  Si pergat cunctis sic aperire fores.

31. Vere dicitur titulum honoris mereri, qui care emit Ad Papilum.

Papile! cum titulus vanus tanti tibi constet,
  Invidiam nobis tute creare nequis.

Diceris hinc vere tantum titulum meruisse;
  Caro adeo emptori, Papile, cedo lubens.

32. In Linum.

Gaudet jure Linus Cajam peperisse gemellos;
  Nam, si non pater est, creditur esse tamen.
Sic Linus ad classem merito referendus eorum,
  Nomine qui solo, qui titulisque nitent.

33. In Cornutum nihil præter titulos possidentem.

Magnis, sed nudis titulis, Cornute, superbis;
  Scilicet es judex, sed sine judicio,
Doctor, non doctus; sobolis tandem numerosæ
  Dicunt te patrem, re tamen esse nequis.
Scire igitur libeat, quid re, non nomine tantum es.
  Cornuti credo nomen et omen habes.

34. Cur semisponsata dicitur Anna.

Jam subito sponsam te gratulor, Anna, futuram;
  Ardes nempe Linum, restat ut is redamet.

35. In Marcum sartorem. Ad Fabullum.

Flare est difficile atque simul sorbere, Fabulle!
  At sartor Marcus perficit omne simul.
Hymnos dum sacros semper canit atqve laborat,
  Furtum committit, sacra simulque facit.

36. Nihil tam absurde fingi potest, quod non credit homo. Ad Olum.

Fingitur, Ole, nihil tam stulte, somnia nec sunt
  Vana adeo, quæ non credit inanis homo.
Finge Deum lapidem, votivo thure vaporant
  Ac sacris flammis templa domusque simul.
Serpentes, lapides, pisces, vaccæ, crocodili,
  Semina plantarum, flumina numina erunt.
Ipsa hominum exsangui sqvalentia corpora morbo
  Æternas statuas ac sibi templa volunt.
Hei! quanta est hominis miseri vecordia mentis?
  Ipse lutum colit et vult tamen ipse coli;

Thura facit saxis, et brutis erigit aras,
  Atque simul stolide se putat esse Deum.
Stultus homo tamen est stulti derisor acerbus,
  Inque aliis notat hic, quod facere ipse solet,
O sanctæ gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
  Numina, clamanti, numina sunt eadem.
Rideat at potius, quam lædat, agat violenter;
  Tantum absint cædes, sangvis et ignis edax.

37. Dum vitant homines vitia, in contraria currunt.

Dum declinat homo vitia, in contraria currit,
  Errorum facies fit modo in orbe nova.
Nescit homo medium, sed tanquam febre laborans,
  Jam nimium friget, jam nimis ille calet;
Ut se præcipitans e summo culmine montis
  Effusum cursum sistere, Sexte, neqvit.
Servitio diro premitur jam Roma vetusta,
  Libera jam nimium vincula prisca petit.
Est nimium bellax eadem sub rege Quirino,
  Subque Numa rursus relligiosa nimis.
Impune omne malum crimenque patratur Athenis,
  At furtum pomi mox capitale fuit.
Urbs ea jam sedes Musis, jam Martis alumna est,
  Belli jam studiis, Palladis inde nitet.
Namqve reformando possunt consistere pauci,
  Sæpius a vitio labimur in vitium.

38. Res magnæ molis est legem condere, cum ad animum revocari debent objectiones et obstacula, quæ legem vel noxiam vel inutilem reddere possunt; hinc minimum sæpe edictum totum hominem poscit.

Olim Romani cum condere jura volebant,
  Leges conspicuis exposuere locis.
Concio deinde fuit, juris discussio facta est,
  Hic jubet, is damnat; laudat hic, ille notat.

Tantæ molis erat Romanas condere leges.
  Hinc bene digestæ secula tota manent.
Sit divinus homo, qui tentet scribere jura,
  Quique futura sapit præteritumque simul;
Casus prævideat cunctos, obstacula centum,
  Quæ vanam legem reddere, Fauste, qveant.

NB. Leges patebant tribus nundinis, id est viginti septem diebus.

39. Nullum vitæ genus nobilius agricultura.

Solos, qui terræ fruges comedunt, veneramur,
  Quique colunt terram, spernimus agricolas.

40. Ad Linum.

Inscitiam produnt aut fraudes Pseudoprophetæ,
  Crasse dum pingunt regna beata poli.
Nam dant defunctis, quæ vivis grata fuerunt,
  Ad studium populi dogmata sacra ferunt.
Sic mulsam Arctois populis promittit Othinus,
  Nympharum amplexus dat Mahometque suis.
Hinc si Germanus seu Belga propheta fuisset,
  Esca foret superum caseus atque caro.
Atria, si Danus, manarent tota butyro*),
  Si Gallus, cœlo panis et herba foret.
Tandem, si Hispanus pinxisset gaudia cœli,
  Ædibus in superis nil nisi scamna forent**).
Hoc solum monstrat fallaces esse prophetas,
  Aut tales, quorum lumina lucis egent.

*) Maximi butyrophagi dicuntur Dani; hinc, si Mahomed Danus fuisset, Paradisum butyro plenum descripsisset. **) Quia pigri Hispani ac sola aura vescentes scamnis potius, quam esca indigent.

41. An homines in deteriora ruunt. Ad Sextum.

Qvæstio, Sexte, diu magno fervore agitatur,
  An genus humanum in deteriora ruat.
Maxima pars hominum laudatrix temporis acti
  Secula prisca minus flagitiosa putat.
Sunt homines hodie semperque fuere scelesti;
  Differt sæpe modus, crimina sunt eadem.

Crimina sunt eadem, sed cum studiis poliuntur:
Cultior hæc ætas ordine cuncta facit.

42. Ad Pontilianum.

Pontiliane, putas senio canescere mundum,
Quippe in tristitiam gaudia prisca ruunt.
Vernat adhuc mundus, sed tu canescis, et orbi
Adscribis vitium, Pontiliane, tuum.

43. In febrem.

Quid me tam gracilem depasceris arida febris,
Ac cur in macie squalida membra furis?
Rodere nam stultum est macilenti corporis ossa,
Offas dum tantas corpora obesa dabunt.
Ilia carpe Lini, fœcundaque viscera Malchi,
Tres satiet febres unus aqualiculus*.
Delibas, satiata alibi, mea forsitan ossa,
Offas at rodas ossaqve deinde Lini.
Id facerem, si febris ego; nam mensa secunda
Post cœnam dabitur rectius inque loco.

*) Aqualiculus sumitur pro ventre apud Persium, hinc:
Pinguis aqualiculus protento sesquipede extat.

44.

Nobilitate homines donati nomina mutant,
Mutabunt mores, nomina stare qveant.

45. Utriusque juris peritus Amyntas, qui e coquo consul factus est.

Juris coctor erat, nunc juris doctor Amyntas.
Jure in utroque igitur dicitur ille sciens.

46. Cursus vitæ humanæ. Ad Auctum.

Hei! vitæ cursus quam sit miserabilis, Aucte!
Ingredimur mundum questibus ac lacrymis,
Uberibus vix desueti atque altrice mamilla,
Mittimur ad virgas carnificesque feros.
Tradimur irato miseri duroque magistro,
Murmure qui sævo verberibusque tonat.

Sub ferula imbuimur præceptis exigui usus;
  Nam quis nunc docto porrigit, Aucte, stipem?
Præmia si dentur, veniunt vergente senecta,
  Quæ vitæ illecebras nauseat atque fugit.
Sic, fame cum premimur, venter latrare jubetur:
  Sponte dapes veniunt, cum tibi nulla fames.
Tandem ut vagitu lacrymisque intramus in orbem,
  Egredimur rursus luctibus ac lacrymis.

47.

Faustini dubitas opera an sunt posthuma vera,
  Quæ sub Faustini nomine publica sunt.
Vera puto; gnatus sed posthumus haud genuinus;
  Anno post obitum editus ille patris.

48.

Cum merita in populum jactat Philis atque senatum,
  Est urbis meretrix jure vocanda Philis.

49.

Splendida scripta Storax et inedita multa reliquit:
  Uxorem prelo jusserat illa dare.
Non notum satis est, an divulgata fuerunt;
  Posthuma sed conjux publica facta fuit.

50.

Fœno bos alitur, sonipes nutritur avena,
  Bello alitur miles, febris alit medicum.
Vox pascit rabulam, nutritur forfice sartor,
  Spes solos vates vana et inanis alit.

51. Ad Thomasinum nobilitate nuper donatum.

Quæris, qui nomen patrium mutes, Thomasine!
  Quando ornatus eris nobilitate nova;
Addas aut demas veteri de nomine quicquam,
  Ut soleant hi, queis contigit iste decor.
Principium Coribos rejicit, et hunc imitare,
  Nobilis ut fias de Thomasino asinus.

52. Admonitio ad novum quæstorem.

Comprime avaritiam, quæsturam nuper adeptus.
  Furibus et magnis vincula censor habet.
Quicquid agis, prudenter agas, et respice funem,
  Serica nam restis guttura magna premit.

53.

Monstrant, Flacce, cicatrices quæ carmina scribis.
  Disce verecundo sanctius ore loqui.
Arma alii capient, metuendaqve stigmata plura,
  Si pergas paribus bella tonare modis.
Autorem facient, te Flacce, *notis variorum.*
  Hinc igitur præstat scribere sæpe nihil.

54. Monet amicum, ut barbam deponat, cum deposuerint populares ad unum omnes, ac soli apud nos hirci barbati incedant. Ad Papilum.

Cur dubitas hirtam tibi falce recidere barbam,
  Cum cernis barbas deposuisse viros?
Cur vis rideri, cur vis dicant inimici:
  Solus alit barbam, ne videatur homo.
At mores priscos senibus servare decorum,
  Atque ornare viros hispida menta putas.
Ignoras fœde, quid fœdum, quidqve decorum:
  Fœdum urbis ritus, Papile, nolle sequi;
Haud raro stultum est imitari tempora prisca;
  Quod pulchrum fuit, est tempore turpe tuo.
Olim barba senem decuit, sed tempore nostro
  Hircos, non homines hispida barba decet.
Cumque ferant hirci jam soli menta pilosa,
  Tonsoris falci subjiciere cito.
Nam cum solus alis propexam ad pectora barbam,
  Barbatus solus barbarus esto simul.

55. Ad Sextum.

Sollicite quæris, quid votis, Sexte, requiram,
  Si mihi doctrinæ aut optio fiat opum.

Mallem doctrinam, nisi doctos, Sexte, viderem
  Nudos stultorum serpere vestibulis.

56.

Jurando semper se prædicat Afer honestum.
  Nunquam se dicit Festus, at esse scio.

57. In spadonem Mævium, qui rure dicitur libidinosam vitam meditari.

Sylvestres tenui Musas meditaris avena.
  Frangunt nervosos prælia tanta viros.
Nosce tuas vires, non magni es ruris arator.
  Poscit nervosum rustica virgo virum.

58.

Mentitur raro, sed fallit sæpe, Fabullus:
  A vero falsum cernere difficile.
Semper mentitur, sed fallit rarius Afer:
  Quicquid enim dicit, credimus oppositum.

59. Ad Fabium, hæretificem maxime strenuum.

Quæris præcipue quam damno relligionem,
  Quas sectas dignas judico suppliciis.
Me nimium poscis: de re non judico tanta,
  Solos damnantes damno, aliosque fleo.

60.

Tristis Strato Deum colit, at Matho non nisi lætus.
  Ille Deum timet, at diligit hicce simul.

61. In Flaccum polypragmaticum.

Orator Flaccus, Rhetor, narrator, arator.
  Declamat, scribit*) juraque, rura colit.

*) Historias.

62. Queruntur cymbarum locatores in portu Fioniæ ad littus freti Balthici minoris de infrequentia vectorum ab insula in continentem trajicientium, cum videant cymbas, quæ ab opposito littore veniunt, plenas et egregie onustas appellere. Ad Wernerum.

Cymbam ex opposito venientem littore plenam,
Miraris, vacuam littore abire tuo.
Plangis, quod sis inops, ditescat portitor alter:
Hoc cernis, verum est abdita causa tibi.
Desine mirari; socii est scapha cymba Charontis,
Affert hæc umbras, quas tua non referat.
Consilium hinc tibi do, vectores huc venientes
Ores cum lacrymis velle redire cito,
Naulum ni geminare velint et solvere eodem
Tempore quod dabitur pro reditu atque abitu.

63. In musicum iracundum, qui fustibus et nervis in uxorem et famulos grassatur.

Quanta sit in nervis virtus, docet Artemidorus;
Quando aptat nervos, consona fit Cithara.
Et nervos adhibet, si dissona calcitret uxor;
Discordem nervis temperat ille domum.

64. In Faustinum salis venditorem et virum fatuum.

Faustini domus ac caveæ sale sunt cumulatæ.
Insulsus dominus, salsaque tota domus.

65.

Ex hominum studiis homines metimur, Amynta;
Nos speciosa tamen larva et imago capit.
Festivos edo libros, tu tristia scribis;
Musa mihi comis, comica vita tibi.

66. In ludimagistrum Anytum.

Fustibus et nervis pueros cum cædis, Anyte!
Doctor nervosus jure vocandus eris.

67.

Classica non fidibus, clangente sed ære canuntur;
In castris raras novimus esse *fides*.

68. De studiis academicis. Ad Sextum.

Non tam de studiis, quam de ratione studendi,
Lites cum doctis scis mihi sæpe dari.
Quæ accelerare putant artes, sufflamina credo:
Dedecorare reor, quæ decorare putant.
Succumbunt artes, Dialectica vana ubi regnat,
Clamosos vexent jurgia causidicos.
Rixando assequimur titulum ornatumque magistri,
Rimando assequimur, Sexte, magisterium.
Possumus et fieri doctores arte loquendi,
Docti et prudentes sæpe silendo simus.
Ornant nos Musæ, si ex more et rite colantur;
Cum strepitu cultæ comica proelia erunt.
Scenica tollantur, lauri, birreta facessant,
Si utilitas studiis constet honosque simul.

69. Ad Flaccum.

Si vis esse aliquid, si vis emergere, Flacce,
Nil disce, aut simula te didicisse nihil.

70. De morbis epidemicis civitatis nostræ.

Vexamur juvenes podagra*); hinc ætate virili
Torquet nos miseros cum chiragra essuries.

*) Omnes usque ad infimos cives curribus sublimes vehuntur, adeo ut vitio pedum laborare videantur.

71. Epithaphium formosæ ac spectatæ virtutis virginis.

Hic posita est Chloris tædæ non nota jugali:
Nempe in dote nihil, quod numeraret, erat.
Non dotes animi, sed dotem quærit amator,
Solos hinc nummos numina vera voces.

72.

Res non ignota est, mulum prodire biformem,
Connubio junctus si sit asellus equæ.

Nascitur at majus monstrum atque chimæra triformis,
Stultitiam Zelo si sociare velis.

73. In societatem quandam gulonum in hac civitate, sive in fratres manducantes.

Mendicantis erant hic fratres ordinis olim,
Manducans ordo vestra caterva vorax.

74. Ad pietatem et amorem Dei neminem cogi posse. Ad Sextum.

Divinus quoniam cultus consistit amore,
Cumque amor est nostræ nempe medulla fidêi,
Leges miremur sacras tentare flagellis,
Pigros ad cultum pellere velle Dei.
Uxorem nervis si flectere vis ad amorem,
Nascitur hinc odium seu tibi fictus amor.
Cogimur ad mores, trahimur svadela ad amores;
Frigidus at calor est, Sexte, coactus amor.

75. Ad Faustum.

Qværis, quo cœnas, quo tempore prandia sumas;
Tute cibum capies, Fauste, premente fame.
Tempora si cœnæ dictent solaria, edendum est,
Non quando stomachus, solis at umbra jubet*)

*) Hinc famelicus apud Plautum:
Ut illum Di perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeo primus statuit hic solarium.

76. De legibus sumptuariis. Ad Aruntem urbis censorem.

Inter tot leges de sumptibus admoderandis,
Librorum luxum nulla coërcet, Aruns!
Qui libros edunt, comedunt patrimonia, et orbi
Imponunt docto dura tributa simul.
Cæsar*), Alexander vix castris tam metuendi
Prodibant, prelis tempore ut hocce solent;
Luxus Censores rigidi Ciceroque Catoque
Luxu nos spoliant post obitumque premunt.

*) Cæsaris commentarii editionis Anglicæ tanti constant, quant emi potest modica bibliotheca.

Major erat pestis non vivus Apicius, ac nunc,
Cum prodit nitidis mortuus ille typis.
Actum esse inde brevi de doctis ominor, iste
Librorum fastus ni cohibendus erit.
Namque ob materiam rerum non venditur auctor,
Dant, minuunt pretium charta et imago, typus.

77. *Paradoxon.*

Miraris Fratrum cur sit concordia rara.
Hos, quia sunt similes, belligerare puto.
Concordes homines reddit discordia morum;
Discordes concors sæpeque vita facit.
Mars Veneri gratus; Xantippe a Socrate amatur;
Qui me amat, hunc fugio, qui fugit, huncce sequor.
Doctus contemptor docti, sapiens sapientis,
Rhetor facundum nauseat atque fugit.
Inque aliis dotes proprias ut spernit et odit,
Sic nævos proprios acrius urget homo.
Stultitiæ stultus fit censor maxime acerbus,
Mendax mendaci maxima bella movet.
Lucro lucronem perstringit, avarus avarum,
Et meretrix semper scorta lupasque notat.
Monstra tibi narro, tamen experientia monstrat,
Vulgo dissimiles esse homines similes.

78. *In Atheum.*

Tute rogas, qui tot mala sint, si sit Deus ullus;
Si Deus at nullus, qui bona tanta, rogo?

79. *Descriptio civis Hafniensis.*

Est ens sex menses splendens ac sumtibus urbis
Magnifice vivens, nobile, lautum et egens.
Æratasque struens, aliis quas pignoret, ædes,
Donec obæratas vendere jussus erit.
Quadrijugo vehitur curru sublimis, et ipsos,
*)Quorum hoc fit sumptu, sorde lutoque ferit.

*) Creditores.

Mensibus æstivis florentia rura frequentat,
  Autumno regni finibus exit egens.
Fatales menses sunt Junius atque December:
  Undecimusque dies esse solet criticus.*)

*) Lib. I. epigr. 108.

80. De linguæ Danicæ sorte iniqua in Dania. Ad Olum.

Sunt binæ linguæ, Germanica, Danica, queis hic
  Utimur in primis, quas loquimurque simul.
Usus quæque suos habet: illa loquela potentum,
  Hæc miseræ melius plebis in ore sonat.
Illa jubentibus, hæc est mendicantibus apta,
  Egregieque sonat, cum petis, Ole, stipem.
Illa usurpari soleat, cum dicimus: *Ito*,
  Hoc facito, *suffer*, *dic*, *loquere*, *atque sile.*
Obtinet hæc usuque viget, cum dicimus: *Ibo*,
  Hoc faciam, *patiar*, *dico*, *tacebo*, *loquar.*
Sic tonat illa, sed hæc resonat velut illius Echo,
  Ac tenuem vocem jussa dat atque sonum.

81. Nulla urbs fontibus magis frequens, quam Roma: hinc proverbium: Fontane, Putane, Sutane.

Fontibus insignis non pontibus est nova Roma;
  Hinc non*) Pontifices, Fontifices sed habet.

*) sc.: Papas.

82. Ad Olum.

Litibus ac rixis crebris disjungimur; at si
  Nullæ sint lites, nascitur inde stupor.
Hinc sunt qui rixas optant, præstare putantes,
  Ut gens sit discors quam rationis inops.

83.

Relligio dominans si posset cogere jure,
  Solus quod sapiat fortior, inde fluit.

84. *Fanatici nullum habent jus docendi aut convertendi alios.*

Jure docere potest nusquam Fanaticus ullo,
  Principiumque suum destruit ille docens.
Nam qui doctrinam probat à dictamine cordis,
  Dicit quod sentit mens sua, nilque docet.
Quod videt ille, aliter video; nam motibus ambo
  Ducimur, et sequimur mens quod utrique jubet.
Sic mentem menti, cor cordi opponimus ambo;
  Cessabunt lites sermoque nullus erit.

85. *De linguarum reformatoribus quibusdam, qui novas licet commodiores scribendi regulas ita dant, ut linguas simul ignotas reddant aut tollant. Ad Faustum Novatorem.*

Te bene de lingua credis, Faustine, mereri
  Dissona tollendo, quæque superflua erunt.
Corrigis, emendas voces, aptasque palato
  Reddis, disponens ordine cuncta suo.
Usu sublato, veterique Tyrannide pulsa,
  Ni jubeat ratio, regula nulla placet.
Ast usus, quoniam rerum solet esse magister,
  Norma erit in linguis, rebus ut esse solet.
Aptas nam vestes portans vestitur inepte,
  Si secus ac mos est pallia texta gerat.
Sic præter morem qui cultius omnia scribit,
  Culte agit, at stulte, desipit atque sapit.

86. *In pugnaces Grammaticos.*

Grammatici vulgo dicunt se humana docere.
  His minus humanum nil tamen esse puto.
Nam qui de nihilo rixatur, et omnia miscet,
  Hunc titulo humani privo hominisque simul.

87. *Judicium de medicina. Ad Martinum Medicum.*

Pharmaca quod vires habeant, Martine, fatemur;
  Auxilium multis succus et herba fuit.

At medicina valet non semper; tempore prosunt
Quæ data non apto tempore sæpe nocent.
Quæque mihi lethum, poterit tibi ferre levamen.
Prosunt hæc tibi nunc, nunc tibi noxia erunt.
Humanum corpus medico est incognita terra,
Cujus ne littus noscitat ille quidem.

88. Physicum studium pauperes reddit cultores suos.

Naturæ studium naturam ducit ad ipsam,
Ac sortem, quacum nascitur omnis homo.
Nudos nos facit ac cunctorum reddit egenos:
Mendicis physicis omnia plena vides.

89. De Logica.

Qui Logicus non est natura, vix erit arte:
Arte mere logicus, sæpius est alogus.

90. De Metaphysica. Ad Flaccum.

Distant, Flacce, parum fanaticus ontologusque;
Arcanis magnis scilicet ambo student.
Is videt omnia, sed solo ex dictamine cordis.
Hic novit causas, res tamen ipsa latet.
Is non entia scit, non entia at explicat hicce.
Ambo delirant, attamen hicce magis.

91. De Historia. Ad Fabullum.

Historiam vitæ speculum cum cerno, Fabulle,
Hoc studium vellem me coluisse magis.
Rursus cum cerno, quam fluctuat atque vacillat,
Hoc studium vellem me coluisse minus.

92. Studiorum diversi fructus.

Pollentes homines reddit prudentia juris.
Pallentes, macros astronomia facit.
Ethica dat mores, Musæ doctæque sorores
Nudam dant famam, datque Chimia famem.

93. Honorum acerrimi captatores contra eorundem vanitatem maxime declamant.

In vanos semper Paulus declamat honores;
At titulum nunquam, si detur, ipse fugit.
Sæpe latens inter frutices, cum distribuenda
Munera sunt, ambit munera magna magis.
Novit enim, quod si prenset, fraudetur honore;
Gaudeat ut citius, fingitur inde fuga.
Deceptus decies populus summe ambitiosos
Tollit in altum humeris, quos timet atque fugit.
Vult ludi mundus, ludetur, amet, foveatque
Solos lusores, retia quique struunt.

94. Excusatio hominis desidiosi. Ad Papilum.

Tempora ego fallo, quoniam me tempora fallunt;
Tempus edax cum sit, Papile, tempus edo.

95. In vitii reformatione vulgo in oppositum vitium labimur.

Ut curvus baculus rectus reddatur, opus sit,
Hunc curves alio; res ita corrigimus.
Nempe reformando vitium, deflectere paulum
Cogimur ad vitium scilicet oppositum.

96. Resolutio problematis.

An libri potius quam liberi erunt faciendi,
Quæritur, ac Statui*) quid magis utile erit;
Utile eos facere est, istos generare necesse,
Hinc non omittas illud, at istud agas.

*) Reipublicæ.

97.

Est pavor haud semper timidi signum atque character,
Visa animi haud pendent ex hominum arbitrio.
Unde timere hominis sapientis et insipientis,
Primos nam motus sistere nemo potest.
Hoc tantum distant: pavor oppugnat sapientem,
Expugnat stolidum perpetuoque premit.

98. Responsio patroni ad importunum petitorem.

Te mihi commendas semper, sed tollere mendas,
Quæ te deformant, mens tibi nulla fuit;
Commendatus eris, si te emendaveris, Ole!
Interea cessa sollicitare; vale.

99. In Olum ægrotum imaginarium.

Ægrotas sanus, cum non velis, Ole, valere;
Credere te sanum, si velis, Ole, vales.

100.

Miraris, tenues adeo cum sint mihi vires,
Me peditem semper; sed valeo, quod eo.

101. Ad Leonem.

Bellum tute moves mihi quod te prætereuntem,
Atque salutantem non resaluto, Leo!
Est mihi nulla salus, hinc nullam reddere possum,
Solam habeo febrem, quam tibi dono lubens.

102. In Othonem medicum.

Velata facie tu præteris, Otho, sepulchra;
Iratos manes nam medicina timet.

103. In venatorem Aruntem.

Venabaris, Aruns, olim damas leporesque,
At nunc *Madamas* insequeris lepidas.
Errabas sylvis ventis et sole perustus,
Ast hac captura tute venustus eris.

104. In Theodorum protestantem, qui habet uxorem catholicam.

Urbi venalis toti conjux Theodori:
Hinc is protestans, hæc quia catholica.

105. De effectibus gustus pravi. In Quinctum.

Contra hominum gustus pravos cum vociferaris,
Natura, ignoras, quam sapienter agat.

Pravus enim gustus firmat commercia in orbe,
Efficiens, nihil ut vile et inane siet.
Ob varium gustum venduntur dulcia, amara,
Historiæ, nugæ, futilia, utilia.
Promovet et varius gustus connubia, spesque
Exstinctas hominum sæpe alit atque fovet.
Florem ille ætatis vult, huic cariosa senectus
Carior, ac rugæ, scabraque labra placent.
Publius exiguæ sic flagrat amore catellæ,
Et Cronius similem Cercopithecon amat.
Prodest nempe homini, quod homo sit stultus, ineptus,
Quando hominum vitiis commoda magna fluant.
Nosque tuo exemplo luculenter, Quincte, docemur,
In pravo gustu quanta sit utilitas.
Nam plebs prætorem te vix fecisset in urbe,
Ni vitio gustus desipuisset ea.

106. In hominem levem, cujus promissis sæpe delusus est poeta.

In promittendo leges testandi imitaris;
Nam nil promittis, quod revocare nequis.
Unde tuum votum sola est testatio mentis,
Ante obitum decies quam revocare soles.

107. Jura non minus praxi quam legibus nituntur. Ad amicum, qui adversus obstinatam uxorem leges ac jura maritorum allegat.

Certas de imperio cum conjuge, et hanc mihi litem
Defers; lis tamen est non mihi clara satis.
Est juxta leges mulier subjecta marito;
At juxta mores imperat illa viro.
Proque tua causa cum stet lex, afferat illa,
Praxin, quæ jussis fortior esse solet.

108. Ad Papilum.

Pastorum est tondere pecus, recte inde putamus
Dici pastores, Papile, Pontifices.

109. Consolatio ad Thdodorum de paupertate querentem.

Esse tibi paucos solidos quatuorque coronas,
In loculis tantum, tu, Theodore, gemis.
Regibus es multis magnisque opulentior: illis
Sæpius in censu est una corona modo.

110. In Olum, qui ditescit scribendo locos communes.

Communes tute, Ole, locos facis haud sine fructu:
Implent nam loculos egregie, Ole, tuos.

111. In virum, qui internum hominem semper jactat et crepat.

Internum semper jactas hominem haud sine causa;
Nam quoad externum cerno valere parum;
Intestina quidem bona sint, cutis at scabiosa est;
Nilque valet corium, cor tibi quale siet.

112. In sacerdotem avarum.

Pastorem nostrum te dicimus, Artemidore!
Non quia pascis oves, pasceris at quod iis.

113. Belli et pacis descriptio.

Bellum est, quando homines scelera admittunt galeati;
Pax est, quano togis crimina clamque patrant.

114. Justitia.

Justitia est virtus extra urbis moenia degens:
Consiliarii enim Justitiæ urbe manent.
Omnes hi vicos sic implent urbis, ut ipsi
Sacræ sit Themidi nulla relicta domus.

115. Pax æterna sive perennis.

Dicitur omnis pax stabilis firma atque perennis:
Anni nam spatio*) stare ea firma solet.

*) Perennis quasi per annum.

116. Heros.

Est Heros latro legitimus, quia fortiter omne
Crimen perpetua prosperitate patrat.

117. Te Deum Laudamus post victoriam.

Post factas hominum strages ac sanguine fuso,
Victori mos est glorificare Deum.

118. Canones Conciliorum.

Sunt Canones decreta, Deus quibus ipse tenetur;
Namque jubent Papæ ac plurima vota Patrum.

119. Disputationes publicæ.

Inter circenses ludos sunt jurgia docta,
Queis vulgo fiunt amphitheatra scholæ.

120. Virtus Musices.

Bellum detestans miles, si tympana pulses,
Non dubitat rursus bellica signa sequi.
Hinc pateat, quantam virtutem musica servat;
Artis enim magicæ vim tenet iste sonus.

121. Census mendicorum hujus urbis. Ad Censorem.

Haud facile est nostros mendicos heic numerare;
Pars hominum panem, pars titulosque petit.
Si cunctos sub eodem involvere fasce velimus,
Tota urbs mendicat. Languida tota fame.

122.

Olim sutor eras urbis, nunc, Marce, fututor,
Moreque te solito cerno adhibere stylum.

123.

Defunctam uxorem non falso plangit Anytus;
Hoc absente Abrahæ*) nam jacet illa sinu.

*) Vicini civis.

124. In scriptorem nimis elegantem.

Arte libros magna variisque coloribus ornas.
Hinc operis fundum cernere nemo potest.

125. Cur sacerdos duxerit ultimam e decem filiabus Lini.

E gnatis bis quinque Linus decimam dedit Olo,
Pastori, decimas Pastor habebit enim.

126. Hæreticos vi convertere absurdum est.

Fustibus ac pugnis errantes vincere, idem sit,
Ac si vi*) logices sternere valla velis.

*) Syllogismo.

127.

Accipiens ac dans in eo distant, benefacta
Ille animo nunquam deleat, iste cito.

128.

Corporis ob vires stultum est animique tumere,
Non sibi, quod cæli et^{s}, vindicet ullus homo.
Nulla creaturæ laus est, est tota creantis;
Nam vigor iste tui non fuit arbitrii.

129. In superbum benefactorem.

Dandi sæpe modus facit, ut graviora repulsis
Munera sint nobis ac benefacta tua.

130.

Est nihil in mundo solidam quod prosperitatem
Ac duraturam reddere, Sexte, qveat.
Hanc non dant nummi, nec fama, aut Stoica virtus;
Differt a vera prosperitate quies*).
Alterius vitæ post mortem gaudia sola
Spes homini tribuit, cætera vana puto.

*) Quies Stoicoum sive carentia mali.

Confucii Philosophi Sinensis apophthegmato quædam.

131.

Est ingens virtus ipsam contemnere mortem;
Major at in rebus scire tenere modum.

132.

Sunt qui sectantur præclara atque ardua tantum;
Utilia ast alii, tuta, decora petunt;
Egregius vivunt illi, melius tamen isti,
Illos mirari convenit, hosque sequi.

133.

Est heros vere fortis vereque triumphans,
Servitio affectus qui premit atque domat.

134.

Est præstandus honor cultusque parentibus idem,
A gnatis propriis quem pater ipse petis.
Et cultum talem senibus præstare teneris,
A pueris qualem tu petis ipse senex.

135.

Præsenti statui sit consentanea vita,
Contentus vivat sorte sua omnis homo.

136.

Tu tibi, non cælo, si quid patiare sinistri,
Adscribe, at fieri crimine crede tuo.
Succenset propriis manibus jaculator aberrans
A meta; morem nos imitemur eum.

137.

Non vives ut edas, verum ut vivatur, edendum.

138.

Si metam neqveas luce una attingere, mensem
Aut annum sumas, aut tibi sume duos;
Æque est perfectus, qui tardius advenit, ac qui
Attingit metam conseqviturque prior.

139. Ad Papilum.

Non curas homines, quos cernis; quomodo cœli
Numina curabis, cernere quando nequis?
Virtutum ignarus penitus, bene vivere nescis!
Hinc bene qui poteris, Papile, scire mori?

Finis apophthegmatum Confucii.

140. Qualis sit satyræ scopus.

Sicut ad urendum medicus venit atque secandum.
Sic censura gravis more medentis eat.

141.

Vir bonus atque probus personam ponat amici,
Quando personam judicis ille capit.

142.

Omnia non facienda tibi, quæ poscit amicus;
Conjuratio erit, nulla at amicitia.

143. Ad Papilum.

Quid fieri liceat, tibi leges, Papile, monstrant,
At schola*), quid fieri convenit atque decet.

*) Id est Philosophia.

144. *In Amyntam philosophum in secessu meditantem.*

Non minus es solus, quam cum sis solus, Amynta:
Nec minus es vacuus tu, nisi quando vacas.

145.

Addas si nihilum nihilo, nihil inde creatur;
Præfigas unum, moxque fit inde decas.
Sic opus adde operi, nihil est, nihilum numerabis,
Fit numerus, Christi si addere vis meritum.

Liber quartus.

---

1. Ad Fabullum.

Moribus antiquis hei! quam distant hodierni,
  Tempora mutantur nosque, Fabulle, simul.
Sub pedibus lunas Mavortia Roma gerebat,
  Lunatas frontes*) relligiosa gerit.

*) Lunulati calcei senatorum et nobilitate præstantium virorum erant, quos Romulus reperisse dicitur assuta luna.

2.

Herba ut solaris solem, sic aulica virgo
  Adspiciens dominam stat subitoque cadit.

3.

Audiret cum nauta brevi mundum periturum,
  Nil me tangit, ait, cras quia vela damus.

4. Admonitio ad amicum, qui amasiam habuit nomine Saram.

Tute ulnis Abrahæ post mortem vix recubabis,
  Si pergas Saræ ludere nocte sinu.

5. In præfectum classis carmina scribentem.

Classis præfectus Damasippus carmina scribens,
  Calliope invita, haud classicus autor erit.

6. De incredulo citharœdo.

Chordis ac fidibus resonant ædes Theodori,
  Excors ipse tamen vivit et absque fidè.

7. In Empiricum, qui otim saltator erat.

Olim saltandi, jam polles arte medendi;
Nunc sonipodex es*), qui sonipes modo eras.

*) sc. sontantes podices facis.

8. In Mathonem.

Luce Matho bigis vehitur, noctuque quadrigis.
Binæ huic sunt mulæ, quattuor at famulæ.

9. Iter per Hollandiam ad Flandros.

Per varios nos caseolos fluviosque butyri
Tendimus ad Flandros: Lactea eunda via.

10.

Curia nos cives reddit, largitur honores;
At schola civiles nos facit atque probos.

11. Cur veros Martis alumnos gignere dicitur Flaccus.

Imbellis Flaccus veros dat Martis alumnos;
Martio enim conjux Livia mense parit.

12. De stupido quodam homine uxorem bene dotatam quærente.

Cum censu uxorem quod quæras, non ego miror,
Cum sensus tantum quattuor ipsus habes.

13.

Exosus tibi sum, quantum tibi carus Anilo est;
Ast odio peccas atque in amore simul.
Muta fortunam, tergum tibi vertet amatus,
Exosusque tibi sponte revertar ego.

14.

Olim pictores crudas signare tabellas
Sunt soliti hisce notis: „Hic equus, ille at eques.“
Sic sapienter agit titulum tibi dando Senatus,
Illis, qui dubitant, ut videaris homo.

15. De Stratone, qui litem de tauro movebat vicino, sed causa cecidit, consule taurum adversario adjudicante.

De tauro litem vicinis Strato movendo,
Post longas rixas judicio ille cadit.
Namque ultra *Taurum* rejectus flebile fatum
Assyrii regis*) lege volente subit.

*) Antiochi regis ultra montem Taurum rejecti.

16. In mercatorem Indicum, qui ab India reversus servos, vulgo Negros, quos inde secum huc adduxit, nodoso baculo Indico ferire solebat.

In servos frustra baculo grassaris, Amynta:
Afros haud talis Scipio*) rite domat.

*) Alluditur ad Scipionem, qui partem Africæ subegit.

17. In Auctam nuper nuptam.

Sculptorem quare pictori prætulit Aucta?
Pungi, non pingi, scilicet Aucta cupit.

18. In prætorem semper ridentem. Ad Rufum.

Miraris semper ridentem, Rufe, Sabellum;
Ridendi causas ast habet ille suas.
Ridet fortunam, deridet tempora, quæ se
Quæstorem e quercu constituere rudi.

19.

A sacro tantum distat sanctoque sacerdos,
Angelico quantum differat Anglus homo.

20. Nitimur in vetitum. Ad Fabullum.

Miraris legum cur observantia nulla,
Cum soleant homines curva et iniqua sequi.
Si lex lata foret Druso, dormiret ut altum,
Horas bis septem, surgeret ante diem.
Fallere si prætor Faustino injungeret, esset
Nemo magis verax ingenuusque magis.

Hinc non miremur leges factas cito fractas,
Illicitum solum quando, Fabulle, libet.

21.

Audes tute senex Astræam ambire puellam;
An tibi decrepito convenit iste torus?
Hance per Astræam ni fallimur ibis ad astra;
Nam tanti infelix ruris arator eris.

22. In advocatum, qui ludi magister factus est.

Qui legista fuit, nunc ludi est ille magister;
Olim verba dabat, verbera jamque dabit.
Quod fecit faciet, lacerans urbem, lacerabit,
Podice nunc pueros, codice at ante cives.

23. Ad oratorem celebrem admonitio.

Eloquio quoniam vix ipsi cedis Ulyssi,
Condendisque parum legibus aptus homo,
Musarum castris quare vis esse solutus?
Ut clade afficias naufragioque statum?
Desere quæso statum, rursus te redde camœnis,
Sic tibi devincti nomine utroque simus.
Florebunt Musæ, pia munia te faciente,
Florebitque status, te faciente nihil.

24. In mercatorem Indicum, qui postea scriptor novellarum factus est.

Mercurius nunc es, fueras mercator, et auram,
Ut tibi mos aurum, vendere, Fauste, velis.

25. In novatorem vulgo Projectmacher. Ad Sextum.

Omnis, Sexte, mihi suspectus in urbe novator;
Quod soleat nutrix, et facere ille solet.
Namque vorat triplo plus quam præmandit alumno,
Offas ipse sibi, sed populo ossa dabit.

26. In plagiarium quendam censoremque simul.

Exscribit carpitque simul mea scripta Leander.
Belli jure putat, quod capit, esse suum.

27. *Hortatur poetam Flaccus, ut aurum et argentum contemnat, cum tot illi turbas ac molestias excitaverint. Attamen ait poeta, si hæres scriberetur idem Flaccus, hæreditatem non recusaturum.*

Rides, ac merito quod opes ego colligo, rides,
Nam scis, quot turbas, quot mihi damna creant.
Quæstum facturus positis in fænore nummis,
Perdo ipsam sortem, fænora perdo simul.
Arca si condam, vel si mittantur in alvum,
Fures aut febres induere arma solent.
Si nimium cultus, tumidus vocor atque superbus;
Si dem pauperibus fictus hypocrita ero.
Agnosco erratum; monita hæc sunt digna Cleanthe;
Me merito rides, Posthume, nemo negat.
At te ridentem si hæredem scribere vellem,
Saltares viso funere corvus hians.

28. Ad Olum.

Miraris titulis quod distinguantur inertes,
Indignique homines; æquius, Ole, nihil.
Hinc misero divina nota est impressa Caino.
Solis ægrotis hæc medicina datur.

29. Axioma in Jure. Ad judicem Amyntam.

Omnis homo pravus præsumi debet, Amynta,
Donec perspicue cernitur oppositum.

30.

Qui Patriæ servit vulgo est sibi noxius ipsi;
Qui paucis*) servit, servit et ipse sibi.

*) Optimatibus.

31.

Iratus quæris, cur non tua limina pulso,
  Quo tanquam ad centrum quicquid in urbe fluit.
Si vis scire virum cur te colit ista caterva,
  Vel fecere scelus, vel meditantur idem.

32. Ad tonsorem, qui prætor factus est, et in re dubia poetam consulit.

Magna atque ardua res, Flacce, est componere lites;
  Nam doctrina opus est ingenioque simul.
Hinc non miror ego mentem in contraria ferri,
  Inque capillis te quærere consilium.

33. De statu hominis naturali. Ad Faustinum.

Æquales natura homines, Faustine, creavit:
  At status optatus non stetit iste diu.
Infirmis leges ac jura dedere valentes;
  Audaces timidis imposuere jugum.
Strenuus ignavum pressit, sapiens male sanum,
  Bardus solerti sponte paretque sua.
Ætas nostra igitur, redeant ut perdita jura,
  Priscaque sors homini restituenda siet,
Bardos, ignavos, stupidos, pigros, male sanos,
  Distinxit titulis perspicuisque notis.

34. In poetam Claudium, qui naufragio nuper periit.

Oceano mersum noli plorare poëtam,
  In Delphini usum forsitan auctor abit.

35. In Artemidorum Polyhistorem.

Libros delibat, sed non legit Artemidorus,
  Inspicit omnia, sed perspicit ille nihil.
Rerum securus sectatur nomina tantum,
  Solaque quæ ignoret, perspicit atque sapit.

36. In Corbulonem heroem invictissimum.

Invicti Herois nomen bello ut mereatur,
  Collatis signis, Corbulo tutus abit.

37. In poëtam, qui carminibus amatoriis pudicitiam virginum expugnare solet.

Nulla dies, qua non Parnassi culmina scandis,
  Ipsas ut Musas scandere nocte qveas.

38. In juvenem Tribuni militaris filium, cujus os palmis contuderat præceptor.

Bellacis sequeris vestigia magna parentis:
  Palmis ac pugnis semper, Anyte, tumes.

39. In lascivum typographum.

Faustini nostri sunt miscellanea prela:
  Hæc nempe excudunt res hominesque simul.
Auctores Græcos, Hebræos, atque Latinos,
  Matronas, vernas, imprimere ille solet.
Hinc spatio lustri Psecas quater auctior exit,
  Doridis editio prodiit aucta quater*).

*) Ancillæ illius.

40. Ad Arnoldum. Ut intelligatur ænigma, sciendum, in sale una cum sociis magnam facultatum jacturam fecissse poëtam.

A sale derivas, insulse Arnolde, salutem.
  Nec mihi nec sociis in sale magna salus.

Aliud.

Salsamenta meum nunquam subiere palatum.
  Vescor ego insulsis; sal tamen, Ole, necat.

41. In pharmacopolam practicum, qui nuper astronomus erat.

Aspexti stellas, jam sellas inspicis, Afer;
  Es Croesus sellas, Irus at astra videns.

E cœlo in cœnum feliciter hinc cecidisti;
  Labentis pejor sors Phaëthontis erat.
Ambo præcipites cecidere in flumina, at illum
  Unda necat, sed te suscitat atque fovet.

42. Ad Amyntam.

Consilium calvi non calvum semper, Amynta:
  Noli igitur calvi temnere verba senis.

43. In Epithaphiorum conditorem, qui versibus promiscue omnes defunctos laudat et beatos prædicat.

Olim Atlas humeris totum portabat Olympum,
  Cælum tu vendis assibus, Ole, tribus.
Vendere nobilius cum sit, quam pondera ferre,
  Atlas tu Major diceris, ille Minor.

44. In eos, qui patriam contemnunt.

Osor tu patriæ non recte diceris, Ole,
  Qui non in patria spernere cuncta soles.
In patria mores tantum, non spernis honores,
  Auræ, non auri fastidium estque tibi.
Non est argenti, sed tantum nausea gentis.
  Hæc ex parte probant, quod patriæ sis amans.

45. De Rufo nobili Hispano, cui amasia erat nomine Prudentia, qui, cum merita sua coram rege Philippo Secundo jactaret, dicitur tale tulisse responsum.

Rufus amicam habuit, cui erat Prudentia nomen.
  Huic Rex, virtutes cum recitare velit,
Respondet: perspecta tua est *Prudentia* nobis;
  A sola notus nam meretrice fuit.

46. Etymologia vocis Galliæ sive Galli.

A Gallis Gallos descendere, Papile, credis.
  Hand plane insulsum est etymon hocce mihi.
Communis virtus, commune est nomen utrique,
  Ambo sunt vigiles, continue ambo canunt.

Acer utrique amor est, et amor subito quoque friget,
  Cornua seu cristas frontibus ambo ferunt.

47. Cur stulte canes nutrit Sextus, qui senex formosam virginem nuper duxit.

Nutris, stulte! canes, qui canus amare Dianam
  Aggrederis, cervi fata minante toro.

48. Inepte ob mansvetudinem ingenii laudatur Faustinus, qui non habet bilem, adeoque irasci nequit. Ad Olum.

Laudas Faustinum, quod non irascitur, Ole!
  Is, qui bile caret, bile tumere nequit.
Cur non eunuchos laudas castosque spadones?
  Nam penuria erit deficiente penu.
Armatos laudes, et inermes non verearis,
  Illos quod nolint, hos quia non valeant.

49. In abeuntem coqvum.

Decoxisse coqvum miraris, non ego miror;
  Namque alius finis non solet esse coqui.

NB. Apud nos scilicet, ubi plurimi coqui solum vertere coguntur.

50. In Olympiam astronomi amicam.

Totum noster Inus stellatum portat Olympum:
  Rursus stelliferum portat Olympia Inum.
Magnæ est molis opus cum pondere ferre ferentem,
  Atlante hinc ipso major Olympia erit.

51. In Nigrinam.

Gnatam Nigrinam Astyanax ad rhetora misit,
  Artem rhetorices ut doceretur ea.
Mensibus hanc paucis facundam fecit Amyntas,
  Fæcundamque simul, namque Magister erat*).

*) Legitime promotus.

52. In venatorem, qui senex uxorem ducit.

Missis tu cervis, Venerem venare, Fabulle!
  Cervi olim corium, cornua jamque capis.

53. Nosce te ipsum. In Festum.

Indolis hic miræ est, namque omnia scit nisi se ipsum;
Ipsum se noscat, nesciat omne aliud.

54. Paradoxon, quod coqvus sit major Juris Doctore.

Qui loquitur tantum, si sit minor efficiente.
Si verba haud factis æquivalere queant.
Coctori fas est ut cedat Doctor in arte.
Hic tantum dicit jura, sed ille facit.

55. In Faustinum.

Miraris canum Marcellum, tempore brumæ
Nam capite hic nudo dicere jura solet;
At mage miror ego Faustinum, tempore quovis
Nam capite hic nullo dicere jura solet.

56. Non semper verum est quod vulgo dicitur: Ex nihilo nil fieri.

Ex nihilo fit nil, cum dicis, turpiter erras:
Nam te Prætorem fecimus ex nihilo.

57. In editorem historiæ Astrææ.

In varias partes divisa est edita nuper
Historia Astrææ, cujus Anilo faber.
Astrææ partem primam mihi dedicat autor.
Credo quod inscribet posteriora*) tibi.

*) Volumina.

58. In advocatum, qui ludi magister factus est.

Codicis inspector solers, Theodore, fuisti:
Podicis inspector nunc studiosus eris.

59. In pauperem, sed splendidum hominem, qui domum ære tegit.

Qui tegis ære domum, cum pauper sis, vereamur,
Ipsus obæratus ne egrediare domo.

Aliud:

Sumptibus haud parcens ædes tegit ære Menander.
Omnia obærantur tecta, herus, atque focus.

60. *In medicum Theodorum.*

Tollere si morbos neqveat medicus Theodorus,
Ipsos morbosos tollere sæpe solet.
Namque ut febris agat radices, non patiatur;
Sublato ægroto sistitur atra lues.

61.

Juxta Grammaticos cum concurrunt duo verba,
Infinitivi continuo alterum erit.
At cum concurrunt varii duo nomina sexus*),
Gignendi casus provenit in Physica.

*) Mas et fæmina.

62.

Uni quod tollit rerum natura creatrix,
Largius hoc alium dupliciterque beat.
Hinc gnatum elingvem non miror te genuisse,
Cum sit natura lingua gemella tibi.

63. *Quævis terra suo peculiari proventu superbit.*

Fructus distingvunt certi atque animantia terras,
Unicuique suus fertilitatis honor.
India mittit ebur, molles dant thura Sabæi,
Gallia delphinos*) gignit, Iberia equos.
Dat Latium Papas, Ægyptia terra papyros,
Thracia datque grues, Westphala terra sues.
Russia dat corium, dat cornua Græcia magna**),
Anglia gignit oves, Cimbria nostra boves.
Vellera dant Seres, Hollandia nil nisi verba***)
Ditior est Batava natio nulla tamen.

*) Nulli alii delphini cum gallicis comparari possunt.
**) Regnum Neapolitanum cornutorum admodum ferax.
***) Sola arte, non terræ proventu ditescunt Batavi.

64. De Amyntæ medici specifico infallibili.

Febri nil melius scis cortice Peruviano.
  Omnes hoc æstus sistere tute potes.
Certius attamen est medici medicamen Amyntæ,
  Ægrum cum morbo tollit is atque necat.

*65. Dicunt cerevisiæ potatores, ebrietatem vino adusto pelli.
In Faustinum.*

Turbatus Cereris Faustinus nubibus atris,
  Vim Cereris Baccho pellere sæpe solet.
Ebrius hinc musto*), vino fit sobrius usto.
  Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.

*) Cerevisia.

66. In Petrum Coriarium, qui Bergis Norvegiæ bis sex ancillas una nocte gravidas fecisse dicebatur.

Orbis Zodiacum Phoebus spatio unius anni
  Percurrit bis sex lucida signa secans.
Urbis Zodiacum noctu Coriarius una
  Transit per totidem nubila signa means.

67.

Vexatur Consul noster capitis cruciatu,
  Ne fætum pariat curia nostra timet.
Nam tali ex cerebro non elicienda Minerva,
  Cum solos mures procreet atque sues.

68. In se ipsum.

Defraudans genium comites facio geniales,
  Urbanos risus commoveo ipse dolens.
Fabellas fingo, jucunda poemata scribo,
  Atque urbem grato compleo sæpe sono*).
Verbo ridentes risus exsors facio ipse,
  Lætitiam moveo; privor at ipse movens.

*) Intelliguntur musicalia collegia, quæ statis diebus in ædibus autoris habentur.

69. *In Bassum.*

Semper, Bassse, tuas sordes fugio atque nitorem,
Jam nimis es lotus, jam nimis es luteus.
Deformem possum, sed non tolerare biformem,
Malo sui similem, quam sibi dissimilem.

70. *In nautam, qui in exercitio Venereo mortuus est.*

Excelsos scandens malos toties sine noxa,
Nunc humilem mulam scandit, obitque simul.

71. *Diversæ ridendi causæ. In Amyntam.*

Me videt atque simul ridet, miseratur Amyntas,
Quod pedibus repto, cum mihi sat sit opum.
Ast video atque simul miserans derideo Amyntam,
Quod vehitur curru nudus et æris inops.

72. *Epitaphium turbulenti nautæ, qui malum scandens in ejusdem tabulatis moritur.*

Pacis hic impatiens alta nunc in pice dormit.

73. *Comparatio inter Virgilium et Danorum antiqvum poëtam strenuumque simul belli ducem Starkodderum.*

Arma virumque canit tantum Latialis Homerus,
Noster in arma, viros et canit atqne cacat*).

*) Uti testatur historia Eric. Pomer. his verbis: „Teutonicis fuit infestissimus adversarius, nam quatuor aut sex ex iis complicans ad modum sedis ad purgandam alvum, et multa alia præclara fecit; dicitur idem Starkodderus prœlium Browallæ heroico carmine celebrasse.

74. In homines ignavos, sed tamen titulorum maximos captatores.

Vestis obæratum pretiosa ut dedecet, ingens
Sic hominem nihili nobilitatis honos.

75. De Tonsore in Quæstorem transformato.

Tondebat solos olim Mustapha capillos,
Quæstor tondebit jam caput atque cutem.

76. In Sextum, qui lotricem suam imperiosam mulierem in conjugium adscivit.

Olim, Sexte, tibi tua lotrix lintea lavit.
Facta tua est uxor, jam lavet illa caput.

77.

Grammatici tradunt, docet ars Palæmonis, esse,
Fœminei generis cuncta cadentia in X.
At meretrix, lotrix, nutrix tamen excipiuutur,
Communis generis scilicet esse solent.

78. In Olum virum inertem et vitiis fœdum, titulorum tamen maximum captatorem.

Quare excelsa petens vanos venaris honores,
Fœdus ut in specula fœdior, Ole, sies?

79. Ad pauperem Platonicæ philosophiæ studiosum.

Si vis propitium tibi Plutum, linque Platonem;
Hujus enim comites livor et Irus erunt.

80. Ad Papilum.

Faustinus crebro dictis me objurgat amaris,
Atria quod procerum prætereo atque fores.
Agnosco vitium, tererem quoque limina magna,
Morum ni obstaret barbara rusticitas.
Commodet ille suam mihi frontem, flexile dorsum,
Det fletus, risus, gesticulosque suos.

Monstret, Patronus cum fervet, quomodo sudem,
  Monstret blandiri, byssina verba loqui.
Det mihi virtutes magnas, quibus ipse nitescit,
  Ordinis aurati, Papile, cultor ero.

81.

Juras te nullos titulos ambire et honores;
  Perjuras, vitæ nescius ipse tuæ.
Nam qui vestibulis magnatum lassus inerrat,
  Ore licet clauso hunc sollicitare puto.

82. Descriptio aulici hominis.

Est animal timidum, tumidum, lepidum, tepidumque,
  Ens sapiens, demens, dans, data moxque petens;
Proteus in formas, facies variabilis omnes,
  Nunc leo, nunc lepus est, nunc caper, anguis, aper.
Semper agit, patitur, gaudet, timet, atque timetur,
  Aurea promittit dona, dat aëria.
Tanquam bulla tumens crescit, vanescit in auras.
  Nobilis est, verum mobilis ille simul*).
Sævo cum gemitu laqueos videt atque catenas,
  At ne solvantur ferrea vincla, timet.
Verbo, quicquid alunt novus orbis et Africa monstri,
  Heic velut in centro sæpe videre licet.

*) Qui facile e gradu dignitatis removetur.

83. Omnis causidicus est arithmeticus.

Callet causidicus numerandi qvatuor artes;
  Litem *addit* liti, jurgia *multiplicat*;
Subtrahit argentum, nummosque clientibus aufert.
  Humanumque genus *dividit* atque secat.

84.

Dividit ac *Dirimit* duo verba synonyma reddunt
  Grammatici, cum sint sæpius opposita.
Verba foro duo sint semper contraria, namque
  Lites lex dirimit, dividit*) at rabula.

*) Multiplicat.

85.

Magnetum mira est, Magnatum nobilior vis,
Ferrum illa, hæc aurum concitat atque trahit.

86.

Orans exoras raro, quia sæpe peroras.
Si vis audiri, pauca necesse loqui.

87.

Non est in medico semper relevetur ut æger:
Semper at in medico, ne relevetur, erit.

88. Ad aulam admitti est in ollam cadere.

Ollam aulam veteres autores, Sexte, vocarunt;
Esse aulas ollas aulica fata docent.

89. In Notarium, cui lasciva est uxor.

Tute Notarius es, tua sed notoria conjux,
Perque notas scribis, dum parit illa Nothos.

90.

Crescis et excrescis tantum titulis opibusque,
Gratandi ut semper sit nova causa mihi.
Desunt jam nobis tituli; si crescere pergis,
Excrementum urbis te fore credo brevi.

91. Causa disparitatis ingeniorum. Ad Flaccum.

Nescio quo gnatum condemnas jure minorem,
Et juvenis dotes ingeniumque notas.
Pallade prognatum stolide tu credis iniqua,
In stadio fratres quod nequit ille sequi.
Forsitan at comites discendo vinceret omnes,
Materia ingenio si posita apta foret.
Pro linguis jubeas alias tentare camænas,
Pro stupido docilis, flexilis, aptus erit.

Tarde discentem culpant plorantque magistri,
Heluo verborum solus Apollo scholis.
Subductis ferulæ manibus, ruptisque scholarum
Claustris, virtutes, quæ latuere, nitent.
Agro degeneri si severis optima grana,
Non reddet sterilis semina jacta seges.
Luditur a scitis mimis male fabula, partes.
Inter comœdos si male distribuas.
Hinc non tyronum culpa est, est culpa magistri,
Disparitas capitum tanta quod esse solet.

92. In Brutum Cæsaris percussorem.

A propriis vitiis domita, haud a Cæsare Roma est;
Novimus hunc urbis composuisse statum.
Sublato domino, veteres rediere tyranni *)
Promeritum Bruti **) quale sit inde patet.

*) Anarchia, turbæ, seditio.
**) Occisoris Cæsaris.

93. De Calliodoro pædagogo.

Optimus est juvenum moderator Calliodorus,
Illius absque ira verbera nempe cadunt.
Namque et in officio tenet optime et instruit ille,
Verbis qui haud querulis, utitur at ferulis.

94. In Anytum garrulum et barbare loquentem.

Te non posse loqui doleo, doleoque tacere
Quod nequeas, cum non possis, Anyte, loqui.

95.

Pythagoram constat, Graja tellure relicta,
Italicis oris instituisse scholas.
Consilio id fecisse puto; nam Græcia nugax
Impatiens longi nempe silentii erat.

96.

Uxoris vitium tollendum vel tolerandum.
Si tollas, conjux commodior tibi erit.

Si toleres vitium sortemque feras patienter,
Illa incommodior, tu melior sed eris.

97.

Signum animi est fortis moderatio, et ira pusilli;
Olim hinc Cretenses, natio Marte ferox,
Conseruere manus, non cornu atque ære canoro,
Sed citharæ dulci præmodulante sono.

98. In eos, qui vetuste loqui affectant.

Insolitum verbum tanquam scopulus fugiendum;
Cum matre Evandri fundere dicta, furor.
Sermone assueto, præsentibus utere verbis,
Moribus at vivas, Papile, præteritis.

99.

Monstrorum domitorem Alcidem fœmina fregit.
Infelix decimus tertius iste labor.
Non est Alcides solus, quem palla subegit,
Isthæc Heroum fata frequentia enim.
Occurrunt alii, quos ornat mascula virtus,
Præbentes simili colla premenda jugo.
Qui dat jura foras, fert cuncta domi patienter,
Qui trepidatque foras, imperat ille domi.

100. Laus Ciceronis.

Ut digne Cicero celebretur, opus Cicerone est;
Laudari a solo nam Cicerone potest.

101. Comparatio inter Virgilium et Ovidium.

Ars quicquid valuit, quicquid natura creatrix
Effundit largo datque benigna sinu,
Monstrant Virgilius, Naso, par nobile vatum,
Summum naturæ hic, artis at ille decus.
Cui dabimus palmam dubii, miramur utrumque:
Optimus hic opifex, illius optimum opus.

102. Inter Horatium et Juvenalem.

Censores morum rigidi Flaccus, Juvenalis,
Ille docet verbis, fustibus iste docet.

103. Judicium de Sallustio et Livio.

Illi si demas aliquid, cadit integra moles*),
Huic demas partem, pars perit inde libri.

*) Nil superfluum habet Sallustius, sed concisus adeo est, ut nihil auferri possit, nisi cum destructione totius operis.

104. Laus Julii Cæsaris.

Qualis Homerus erat scriptis, ac rebus Achilles,
Talis utraqve fuit Julius arte simul.
Res gestas digne scripsit, scribendaque gessit,
Ut dubites auctor major an actor erat.

105. De Curtio et Lucano.

Rufus Alexandri, Lucanus Cæsaris acta
Extollunt; prosa, versibus ambo canunt.
Historicus Lucanus erit, si solvo ligata*);
Rufus erit vates, qvando soluta ligo**).

*) Quia veram historiam complectitur poema.
**) Quia poetice et hyperbolice scripsit, licet dictione soluta.

106. Laus Apuleji.

Materiæ sermo respondeat! inde Nepotem
Rideo reptantem rebus in egregiis.
Obque styli cum materia consensum Apulejum
Laudo, quem cum asino rudere cerno suo.

107. Responsio ad Leandrum quærentem, quem auctorem Latinum potissimum imitabitur.

Rite Leander eas inter Florum atque Nepotem,
Neuter enim graditur: serpit hic, ille volat.

108. De epistolis Ciceronis ac Plinii.

Si minus hic sique ille magis limasset, utrumque
Majorem laudem promeruisse reor.

109. De Plauto et Terentio. Ad Theodorum.

Agnovit metrum servatque Terentius artem:
Scripturus ludos hunc, Theodore, sequor.
Cura minor Plauti sed majus mentis acumen,
Inde sequi Plautum, nec volo nec valeo..
Hic mage mirandus, verum minus ille notandus,
Is nullos nævos, nil mediocre hic habet.
Hortis ut cultis præstant nativa vireta, *)
Afro sic Plautus major habendus erit.

*) Sunt verba Rufi Grammatici.

110. In Persii satyras. Ad Anytum.

An scribit satyras an laudes, pungit an ungit
Persius, haud constat; sat lego, colligo nil.
Stigmata non ponit vitiis, ænigmata profert,
Qui docet obscure, dicit, Anyte, nihil.

111. . . . carmina comparantur sum Martialis epigr.

Ille stylo agresti doctus proferre polita,
Vasibus argillæ fert pretiosa tibi.
Hicce stylo nitido novit narrare pudenda,
Auratis patinis stercora tetra ferens.

112. Martialis et Persius.

Vellem clarius hic, obscurius is cecinisset.
Hunc legere haud valeo, non volo discere eum.

113. Stulte quis rem explicare aggreditur, cui definitio rei non sit perspecta.

Rem qui exponere vult, rei causam discere debet,
Namque hac neglecta, ludit agitque nihil.
Villici enim velut inspiciens Dominus rationes,
Si totas summas colligit atque notat,
Sed non perpendit recta an sit summula quævis,
Computat ille nihil, villico habetque fidem.

114.

Devinctus tibi erit, si quid des inferiori,
 Æquali si des, clam tuus hostis erit.
Præstita nam benefacta ab eo, qui dignus honore
 Creditur, obstringunt gratum humilemque virum;
Æquali verum si quid benefeceris, inde
 Nascitur aut odium, vel tibi fictus amor.
Nam species est servitii, veneratio quævis,
 Dura odiosaque sors estque subesse pari.

115. In Janum.

Bis duxti uxorem, bis crescunt cornua fronte,
 Tertia si tibi sit, Jane, vocere trifrons.

116.

Turpius est tepide laudari, quam lacerari;
 Scommata nos pungunt, frigida lausque magis.
Nam culpans, laudes non dicere velle putatur,
 At laudans tepide dicere posse nihil.

117. Ad Sextum.

Quando noverca dies una est atque altera mater,
 Contentus debet, Sexte, quiescere homo.

118.

Perdas indigno si præstiteris benefactum,
 Si quid des digno, non dabis, accipies.

119. Ad Papilum.

Sævi hominis risus vulgo fletus solet esse:
 Hæredis fletus, Papile, risus at est.

120.

Qui cum causa odit, minus odit, quam sine causa;
 Justo odio injustum durius esse solet.

121. Ad Olum.

Quicquid præcipias, confestim percipit Afer;
  Percipiens tarde perspicit omnia Aruns.
Is promte, hic comte dicit: delector utroque,
  Promtum illum miror, tardigradumque sequor.
Pernix sæpe fuit sententia perniciosa;
  At mora maturum consilium, Ole, parit.
Ingeniis magnis quicquid peccatur in urbe,
  Sistere tardipedes ac reparare solent.

122.

Tute tenax veteris moris, fraterque novator.
  Censura dignos judico utrumque pari.
Est stultus veteri primus qui more recedit,
  Ultimus ut veterem qui retinere velit.

123. Ad Olum.

Accendam vis thura tibi, tibi gratuler, Ole,
  Ob tumidos titulos, quos petis atque tenes.
Qui vanos titulos venatur, non venerandus,
  Is venerandus erit, qui meret atque caret.

124. Minimi sæpe cives sunt, qui a vulgo maximi existimantur.
In Afrum.

Transversis humeris populares adspicis, Afer!
  Cum sint munera tot nempe tributa tibi.
In te namque favor cadit omnis, præmia, honores,
  Largos tu solus tollis, et inde tumes.
Ast humilem potius te reddant tot benefacta.
  Quo plus tollis, eo debitor esto magis.
Creditor extollat cristas, haud debitor, Afer!
  Munera quot dantur, tot quoque vincla tibi.
Magnus et illustris civis, solusque colendus,
  Qui patriam colit, et spernitur in patria.

125. In Sextum.

Munificis donis firmantur fœdera, Sexte!
  Cor das uxori, cornua reddit ea.

126.

Sunt nimis aut timidi medici, nimis aut violenti;
  Pauci, qui medium rite tenere qveant.
Te servare modum fateamur in arte medendi,
  Te modicum medicum novimus esse diu.

127. In Olum cui suspecta est fides uxoris.

Alternis mundus vicibus dat dulcia amara,
  Sunt in conjugio sic mala mixta bonis.
Hinc toleres mala, quæ cum forma et dote seqvuntur;
  Nam qui vult corium, cornua et, Ole, ferat.

128. Ad amicum Simonem Etymorum acerrimum indagatorem.

Noctes atque dies etymis quoniam meditaris.
  Nempe tuum studium vertitur omne in eo;
Ultro et ingenue tibi pandam, quid mea cura,
  Nuper detexit rebus in hisce mihi.
Uxor*) ab ungendo; caput *ungit* nempe mariti,
  A mulctu mulier, *mulgeat* illa virum.
A meritis meretrix, toti quibus utilis urbi,
  Filia et a filo, quod struit illa procis.
Concubitus cubito, quia conjux atque maritus,
  In cubitu cubitis prælia sæpe movent.
Est medicus *mera* qui dicit**) sed nil fere præstat.
  Patronum dico quod *patriæ* sit *onus*.
A questu Quæstor, *questus* movet is lacrymasque,
  A gallo Gallus, cornua uterque gerit.
Justitiam credo a sistendo jure vocandam,
  Prætor enim *sistit justitiamque* negat.
A lento atque opera est opulentus; namque opulenti.
  Lenti operam præstant auxiliumque ferunt.
Mercurio nomen debet mercator ab arte
  Fraudandi, cum scit fallere mille modis.
Privignus dictus quasi *aqua privatur et igne*
  Et miserum quoniam dura noverca facit.

*) Antiquis unxor. **) Quasi meredicus.

A cuculo recte monachorum sumo cucullos:
  Sæpe cucullati nam cuculi esse solent.
Ex quo fonte tuum descendit nomen apertum est;
  Dicere sed nequeo; nam subit ora rubor.
Porcius a porcis, velut a cicere et Cicerones,
  Simia sic nomen dat tibi, docte *Simo*!

129. In thuris et aromatis venditorem jam Prætorem. Ad Linum.

Olim mercator, jam legislator Amyntas;
  Venditor est juris, qui modo thuris erat.

130. In Prætorem Fabullum.

Cum tua sint prolixa nimis decreta, Fabulle,
  Rhetor non prætor jure vocandus eris.

131. Monitum ad novum maritum.

Narrando ducis noctes cum conjuge Sara;
  Non vult historicum, vult tua Sara virum.
Frigoris hæc causa est; si vis a Sara adamari,
  Nil narra, sed ara, vel fac utrumque simul.

132. Justitia est exercenda absque ira.

Absque ira pœna omnis erit; nam non quia peccat,
  Verum, ne peccet, flagra subibit homo.

133. Ad Sextum.

Ob Satyras in me factas, tibi debeo multum,
  Laudes formido, scommata curo parum.
Namque malorum hominum satyræ totidem mihi laudes,
  Et laudes totidem scommata sunto mihi.

134.

Omnis, qui discit Musarum et Apollinis artes,
  Sacræ Scripturæ posthabito studio,
Huncce procis ego Penelopes similem puto, servas
  Vincere qui poterant, non dominam poterant.

135. Ad Sextum.

Sultus divitiis pollens mihi, Sexte, videtur,
Aurato tanquam vellere splendida ovis.

136. Epitaphium in furem.

Post varios casus, post tot discrimina rerum,
Fur furcam nactus; furibus iste scopus.

137. Ad Olum de vero Dei cultu.

Mercatorius est cultus, si nomine lucri,
Atque ob mercedem si colis, Ole, Deum.
Sique timore colis, cultus servilis habendus.
Est solus cultus, qui fit amore, pius.

138. Paradoxon ad Anytum.

Esse nihil levius nihilo, tu dicis Anyte:
At terræ pondus vir tamen est nihili.

139. Ad Bassum.

Vivere, Basse, malum non est, male vivere triste;
Sunt mala, quæ pateris, non mala, si pateris*).

*) Si patienter feras.

140. Ad Papilum.

Ancillas nimium timidas plangis tibi missas:
At facies tumidas, Papile, more tuo.

141. Ad Anytum de viro luxurioso, qui ædes suas vendere coactus est.

Crapula, Anyte, diu domus hæc insana laborans,
Evomuit tandem languida nuper herum.

142. Ad Anytum.

Caute vivendum nobis, cæcosque imitemur,
Qui palpant terram quovis, Anyte, gradu.

143. *Ad Papilum.*

Ignorantem hominem novit gnarus sapiensque;
Ignorans olim scilicet ipse fuit.
Noscere difficile est ignoranti sapientem,
Ignarus nunquam cum fuerit sapiens.

144. *In Afrum divitem et iracundum.*

Possidet Afer opes, Afrum sed possidet ira;
Dives enim, dominus si foret ipse sui.

145. *Labora ne labores.*

Ne fame, ne morbis, ne paupertate laborem,
Assiduo corpus duro labore meum.

146. *De stellis errantibus sive Planetis.*

Astrorum cursus vel calculus astronomorum
Errant, Sexte, magis, dicere difficile.

147. *Causa palloris auri. Ad Olum.*

Indocte nimium quæris cur palleat aurum;
Pallet multorum quod patet insidiis.

148.

Dicitur orator, qui res enuntiat aptas,
Nugator, linguam qui cohibere nequit.
Rhetoris officium est non tantum scire loquenda.
Illius officium est scire tacenda simul.

149. *Ad Theodorum.*

Est instar citharæ, bene qui docet ac male vivit:
Nam, quem non sentit, dat, Theodore, sonum.

150.

Strato athleta senex exercet jam medicinam,
Quodque pugil fecit, jam facit ille medens.
Nam pugnis ac verberibus quos sustulit olim,
Tollit nunc herbis dexteritate pari.

151. In Bassum equisonem loquacem.

Quadrupedum cursus spumantiaque ora coërces,
 Tu gradibusque aptis ire jumenta doces.
Tenta etiam freno mansuetam reddere linguam,
 Ne sit in exitium, Basse, proterva tuum.

152.

Crapula cum pariat capitis tibi sæpe dolorem,
 Tu bibis, ut pœnam sæpe luas capitis.

153. In Catullum.

Conciliare tibi matronas atque puellas
 Exiguis catulis sæpe, Catulle, soles.
Uti jure queas his telis hisque sagittis,
 Venari damas est solitum canibus*).

*) Lusus in voce dama, cum matronæ hodie dicantur Dames.

154. In Petrarcham Poëtam, cujus uxor Caja suspectæ fidei est.

Dum Petrarcha suo musæo carmina nectit,
 Caja gynæceo cornua flectit ei.
Vatibus hæc solis sunt præmia, nempe coronæ;
 Laurus tunc, hodie cornua frontis honor.

155. Consolatio ad amicum Damonem.

Conjugis ob facinus nimium ne indulge dolori,
 Communis fere sors est hominum atque Deum.
Jupiter ipse fuit si dictus corniger Ammon,
 Corniger ut Damon sis, tibi gloria erit.

156.

Corporis humani positum cor parte sinistra
 Efficere, ut tot sint facta sinistra, puto.

157. Fructus disputationum publicarum.

Connubiis ut finitur comœdia quævis,
 Actus sic cathedræ lætitia atque mero.

158. Ad Amyntam.

Non Papas sed Papatum damnabis, Amynta;
Quis simul esse potest Papa et honestus homo?

159. Ad Othonem.

Non semper verum quod vulgo dicitur, Otho:
Si partes valeant, corpus et omne valet.
Singulus est judex æqvus, sed curia iniqua;
Nilque valet totum, pars tamen integra erit.

160. In senatorem urbis nimis cautum et dubium.

Cur nihil efficitur? suspendit cuncta Senator;
Se ipsum suspendat, rectius omnia eant.

161. In Cantorem Eccles. Theodorum.

Fœda tibi quoniam sit vox, cur vociferaris?
Curque hymnis sacris obstrepis atque necas?
Hoc non latreia est, sed latratus, Theodore!
Nutant voce tua templa domusque simul.

162.

Nemo magis Batavo lotus, luteusque putandus;
Namque lavat plateas, non lavat ille manus.

163. Ad Mamercum.

Natio quæque suis vitiis, Mamerce, laborat,
Profusa est nimis hæc, illa at avara nimis.
Indulget genio Saxo, jejunat Iberus,
Italus ambiguus, credulus Helvetius.
Lascivit Græcus, sed torpet frigore Belga.
Gallus cantando vel blaterando necat.
Disputat Almannus*), sputat fumatque Batavus**).
Bacchum Sarmatus***), se colit Anglus homo.

*) Omnes hic et in Germania literati disputatores sunt.
) Crudi ventris sunt Batavi. *) Polonus et Moschus.

Furaturque Scythes, nugatur at incola Thules*);
  Vermes sic patitur natio quæque suos.

*) De nugis Islandorum vide antiquitates Bartholini.

164. An animæ per traducem propagantur. In Sextum hominem stolidum.

Nonnulli credunt animas ex traduce gigni;
  Talis non dubito quin sit origo tuæ;
Namque tui quoniam majores desipuerunt,
  Dementi mens ex traduce nata tibi.

165. Ad Amyntam.

Qui tantum studeant, ut multa loquantur, Amynta!
  Non vero ut mentem rite studendo colant,
Sunt tanqvam mimi, funambuli et id genus omnes,
  Qui solis pollent gestibus atque sono.

166. Debitum solvit Anytus pro nominibus verba dans.

Nomine si majus verbum, nil debet Anytus.
  Nomina contraxit, verbaque plura dedit.

167. In Theodorum Polyhistorem.

Ante mare et terras et quod tegit omnia cœlum,
  Unus naturæ vultus in orbe fuit,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles;
  Ut status est cerebri nunc, Theodore, tui.

168. Pietas sæpe confunditur cum melancholia. In Sextum.

Mentis mœrorem summi Entis, Sexte, timorem
  Credis, et esse viam, qua sit habenda salus.
At res confundis; distat dolor a pietate,
  Horridus ut differt a gravitate rigor,
A fortique ferox, et ab ira heroicus ardor;
  Rite hilari colitur nam pietate Deus.

169.

Qui sat honoris habet, raro est captator honoris.
  Pauperiem prodit, qui petit atque rogat.

170.

Præmissis ludit, sed nil concludit Anytus;
  At sine præmissis judicat omnia Aruns.

171. Ad Sextum, qui poëma nuper a se conditum auctori misit.

Si missi excipiam scripti mendacia sola,
  Non est cur opus hoc, Sexte, poëma vocem.

172.

Præsulis injussu monachis nihil est faciendum,
  Ordinis id sacri regula prisca jubet.
Hinc monachi Rufi reverentia tanta Prioris,
  Ut, nisi jusserit is, non colat ille Deum.

173.

Excubias ut agunt gentes, munimina firmant,
  Vicini populi lubrica quando fides,
Sic ratio debet vigil in statione manere,
  Ne pravi affectus scandere valla queant.

174.

Creditus eunuchus vulgo fuit Artemidorus,
  At falso; nimio calculo obivit enim.

175. In superstitiosum quendam, qui cum baculum suum serpente complicatum vidit, sinistri id aliquid portendere credidit.

Quavis re insolita percellitur atque movetur
  Tanquam portento relligiosus homo.
Nullum est prodigium, baculum si complicet anguis;
  Anguem at si baculus complicet, esse puto.

176. Epitaphium Linæ in puerperio mortuæ.

Ictu lethali jacet hæc percussa mariti:
  Nam tali constat plaga obiisse Linam.

177. In avarum, qui ululatum canum suorum ominosum putat.

Flaccum nocte canum queruli terrent ululatus,
  Instantisque mali tristia signa putat.
Totam at, Flacce! domum miramur non ululare:
  Tota laborat enim pauperie atque fame.

178. In Annam meretricem.

Vicenis Cæsar plagis confossus ad altam
  Pompeji statuam tristia fata subit.
Quovis tute die confossa tot ictibus, Anna!
  Corruis, at surgis, salvaque vivis adhuc.

179. Diversi febrium effectus.

Me tenuem reddit febris, medicumque repletum,
  Nam valet hic morbis vulneribusque meis.

180. Responsio ad gratulationes causidici cujusdam et chirurgi.

Optatis mihi divitias, pacem atque salutem,
  Una cum cunctis, quæ mihi grata sient.
Opto, ut par referam, lites ego, vulnera, febres,
  Cunctaque quæ vobis commoda ferre queant.

181.

Frigore nos uri velut a fervente calore,
  Constat; namque uror frigore, Caja, tuo.

Liber quintus.

Carminum panegyricorum libellus.

1. *Hortanti amico, ut tentet etiam panegyrica scribere, epigrammate hoc respondet poeta.*

Quæris cur semper mordacia carmina ructo?
  Laudes interdum dicere, Pœte, jubes.
Invitis Musis quid me præconia poscis?
  At tentabo tamen, quid mea vena valet.

2. *Panegyris in tabernam pannis sericis et purpureis repletam.*

Salve divino cultu veneranda taberna!
  Vitutum ubertas ac cumulata penus!
Non mihi si centum resonarent vocibus ora,
  Laudes me fateor pandere posse tuas.
A te cuncta fluunt, quæ splendida nomina reddunt:
  Gloria brutorum es, es hominumque decus.
Efficis, ut nequeat distingui a consule sutor,
  Ex asinis homines tuque creare soles.
Inque novas per te mutantur corpora formas,
  Ipsis stipitibus tu facis ut sit honor.
Hinc cum quos ornas tribus ulnis, sic veneramur,
  Ac chlamydi auratæ tantus habetur honor:
Vult lex justitiæ, ratio quoque postulat, ut sit
  Submissis votis ara struenda tibi.

3. *Epitaphium Fabulli coqui.*

Hic jacet in vario versatus jure Fabullus,
  Decoxit V. Calend. April.

4. Poema heroicum sine episodiis, sive Æneidos liber unus.

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam quærens ad Punica litora venit.
Læserat hic postquam castæ Didonis honorem,
Aufugit hinc tacitus, causatus jussa parentis.
Mox sponsam rapiens Turni regis generosi,
Postrato Rutilo, fundavit sanguine regnum.
Sic erat in fatis: Saturnia Juno coëgit,
Insignem pietate virum tot adire labores.
Finis Æneidos.

5. Historia rerum gestarum celeberrimi M. Afri.

Septembri natus claris genitoribus Afer,
Mortuus Augusto. Finis hic historiæ.

6. Epitaphium Selii.

Salsarum rivos lacrimarum effunde viator,
Ob mortem Selii, qui tumulo hocce jacet,
Bis sex lustra diem vidit; si stamina vitæ
Non Dea rupisset forfice sæva sua,
Sique dedisset adhuc annum, vidisset amatæ
Uxoris cineres, busta patrisque sui*).

*) Cujus hæres erat.

7. In laudem oratoris Amyntæ. Ad Olum.

Dicendus merito est Cicero borealis Amyntas;
Ipsas nam Musas quis negat, Ole, loqui?
Mellifluis verum dictis tantum duo desunt:
Forma et materies.

8. Gratulatio ad prætorem Auctum, qui laudatur ob assiduitatem.

Tertius a decimo glomeratis orbibus annus,
Urbis prætori labitur, Aucte, tibi.
Tempore præturæ quis te solertior, Aucte!
Quis studiosior est assiduusque magis?
Hinc, quoniam impendis tot sedes urbis in usum,
Optamus, vigeant posteriora tibi.

9. Encomium judicis Rufi.

Judicis urbani tanta est prudentia Rufi,
  Consulat ut raro judicium ille suum.
Hinc alios sequitur cæce, ne cespitet ipse,
  Ne male quid faciat, nil facere ille solet.

10. Encomium oratoris Anilonis.

Maximus orator dicendus noster Anilo,
  Arguto faciens verba diserta sono.
Cumque diserte adeo recitat, quæ non facit ipse,
  Quid tunc, quæ sua sunt, si recitare velit?

11. Epitaphium veri Musarum cultoris.

Ingens Musarum jacet hoc sub marmore cultor,
  Fœcundans steriles solliciteque fovens.

12. Inter virtutes cardinales est amicitia, quam virtutem vere coluit Faustus.

Inter virtutes illustres ac generosas,
  Inprimis coluit Faustus amicitiam.
Nam fere centenas vivens numeravit amicas,
  Quas magno studio percoluisse scio.

13. Epitaphium Chloridis.

Conditur hac urna Mammerci filia Chloris.
  Annos bis septem virgo pudica manet.
Tantum cum spatium servasset rite pudorem,
  Nutrix deposita virginitate fuit.
Spartam hanc ornavit sic quattuor integra lustra,
  Ubera dans pueris officiosa suis.
Tandem fit conjux; hoc scilicet ire gradatim est;
  Nullas observant tempora nostra gradus.

14. Laus Sempronii Afri.

Numinis est vere metuens Sempronius Afer;
  Ne peccet, dormit nocte dieque simul.

15. Flacco amico ancillam commendat Poeta.

Est austera quidem, sed fida et honesta Lycoris,
In tenebris quacum, Flacce, micare potes.

16. Epitaphium virginis Batavæ heic mortuæ.

Inferiæ cujus tanto fiunt comitatu,
Infera virgo fuit, nunc magis infera erit.

17. Epitaphium in Fabullum trapezitam.

Merces credenti dabitur promissa Fabullo:
Nam gravis hac vita creditor urbis erat.

18. Epitaphium in Afrum senem, qui ducta in uxorem robusta virgine, paulo post nuptias obiit.

Hic situs est Afer currus auriga rapacis,
Quem, si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

19. Epitaphium Theodori æditui, qui comparatur cum Hercule.

Alcides alter jacet hoc sub marmore; utrumque
Gesta eadem, virtus, famaque nobilitant.
Ambo clavigeri, monstrorum ambo domitores;
Hic templi glires, stravit at ille feras.
Herculea clava muri sternuntur et arces;
Portæ omnes patulæ clavibus hujus erant.
Purgavit stabula is, purgavit at hicce sacella,
Tandem æquale genus mortis utrique fuit.
Sævis Mulciberi flammis ambo periere:
Vestis eum flagrans sustulit, huncce liquor.
Solo hoc dissimiles: uxorem subdidit hicce
Imperio nervis, subditus ille suæ.

20. Epithalamium.

Purus Amor castam Cajam conjunxit et Auctum,
Dives opum Caja est, est opulentus et hic;

At non propter opes ardent; socialia jura
 Sanxit solus Amor, copula sola tori *).

*) Ita omnes dicere solent, etiam ille, qui anum octogenariam bene dotatam ducit.

21. Gratiarum actio et votum.

Quamvis nil mihi des, sed multa mihi tamen optas,
 Ne ingratus videar, par tibi reddo lubens.
Opto tibi gazas Croesi, viresque Milonis,
 Nestoream ætatem, gaudia, delicias.
Fortunam Syllæ, terras atque integra regna;
 Ista sed opto tibi, do tibi, Sexte, nihil.

22. Gratulatio humillima ad juvenes quosdam splendidis nuper titulis donatos.

Vos vitulos lætor tantis titulis decoratos.
 Quid non sperandum. quando boves eritis?

23. Strena, sive novi anni votum ad omnium ordinum homines, inprimis ad Assessorem Flaccum.

Opto consulibus vires cerebrique vigorem,
 Opto militibus robora juncta fide.
Mentem prætori, taciturna silentia scribis,
 Artifici precor, ut membra robusta sient.
Opto cornutis, ut sit patientia fortis.
 Opto Assessori sint tibi, Flacce, nates *).

*) Fortes sc. quibus opus in senatu sedenti.

24. Epitaphium in beatum Faustinum, qui integri decennii spatio sobrie adeo vixit, ut solum lac potaret, quæ tamen abstinentia mortem accelerasse creditur.

Quis poterit de Faustini dubitare salute?
 Novimus ad superos lactea iisse via.

25. Studiorum et diligentiæ præmium. In Amyntam.

Limina magnatum calcans, ac crimina laudans,
 Servorumque opera vincere doctus heros;

Ancillas lingens, dominabus carmina fingens,
  Currens ac sudans, Byssina verba loquens;
Obtinuit tandem mediis his præmia, portum
  Invenit, solers quem labor iste meret.
Hic verus cursus, sic itur ad astra, ad honores.
  Tute domi sudans emoriere fame.

26. Novi anni gratulatio ad Ludimagistrum, qui se Scholarcham scribere solet.

Salve gymnasii docti summe induperator!
  Palladis in celsa sceptrifer arce sedens.
Salve et adhuc multos annos femoralia solve;
  Nam vigeant Musæ te moderante scholas.
Dum tu lector eris, dum lictor, Apollinis arcem
  Nulla expugnabit vis neque barbaries.

27. Ad Aruntem novum advocatum gratulatio.

Inter causidicos te lætor, amice, receptum;
  Gratulor ingenium non latuisse tuum.
Defuncti, cui succedis, vestigia serva;
  Lites multiplica: divide et impera, Aruns!

28. Novi anni votum ad empiricum, qui artem medicam exercet.

Morborum domitor, tabis labisque flagellum!
  Languorum victor pestiferæque luis;
Ventorumque potens moderator et Æole, qui, quum
  Nutu das signum, qua data porta ruunt;
Annum felicem, faustum, lætumque precamur,
  Morborum quoque sit copia larga tibi.
Tot febres tibi sint lucro, quot arator aristas,
  Qvot lites Thamas enumerare queat.
Per multos annos interfice, cædeque, læde;
  Proque labore tuo præmia digna cape.

29. Ad amicum ad summum honoris fastigium nuper evectum.

Ingeminant omnes salve: quia nuper in aula
  Tantum excrevisti: salve et habeto meum.
Cum salve at simul ajo vale; foedus renovabo,
  Aulica quando tibi gratia vanuerit.

30. Epinicium.

Spargite jam violæ flores, ac flectite serta,
  E castris victor quando redibit Aruns.
Quis tanti Herois laudes ac facta tacebit?
  Quo spectante hostes arripuere fugam;
Quoque ducis summi titulum nomenque gerente,
  Finitur bellum, pax quoque læta datur.

31. In laudem medici Leandri, qui tres œgrotos una die curavit.

Tres hodie ægrotos medico præsente Leandro,
  Munere naturæ convaluisse liquet.

32. Epitaphium in consulem Flaccum.

Hoc jacet in tumulo consul prænobilis, annos
  Bis sex immeritus, quattuor emeritus.

33. Carmen gratulatorium ad Sextum, qui nuper titulo consiliarii ornatus est.

Votorum compos titulum tandem obtinuisti;
  Egregium est primo, Sexte, sedere loco.
Egregium est digito monstrari et dicier, hic est
  Heros illustris, qui modo homuncio erat.
Fletus, Sexte, tui nostrum movere senatum,
  Ardenti voto denique ut annueret.
Lætor, eoque magis gratans mea gaudia testor.
  Contigit immerito quod tibi talis honor.

34.

Quod sartor factus sit prætor gaudeo, namque
  Justitiam laceram sarciat ille brevi.

35. Laus tonsoris Amyntæ.

Magnus erat Cæsar, sed major tonsor Amyntas,
  Ille legit, scribit, dictitat, idque simul.
Hic barbam resecans, urbes expugnat et arces,
  Disponitque acies, præmia distribuit.
Regibus est in consiliis, arcana potentum
  Rimatur, bellum terminat, idque simul.

36. De pietate Heraldi.

Insignis passim pietas celebratur Heraldi,
  Quis magis est illo religionis amans.
Nil facit ille dolo, nihil armis tentat aperte,
  Cælestem ardenter quin prius oret opem.

37. Gratulatio ob reconvalescentiam consulis.

Tanto defunctum morbo gratamur, Amynta!
  Teque orco extractum denuo luce frui,
Dum traheres animam, tota urbs ad sydera palmas
  Tendebat, crebris fletibus ora rigans.
Nec sine causa erat hoc; defuncto namque veremur,
  Ne tibi succedat pejor in officio.

38. Epitaphium docti viri.

Hic situs in studio physico theoreticus ingens:
  Uxor sed praxi soli operata fuit.

39. In obitum vere pium beati Marci.

De Marci nemo poterit dubitare salute;
  Si sancte haud vixit, sancte obit ille tamen.
E vita quatour mystis præsentibus exit,
  Atque efflans animam complicat ipse manus*).

*) Quod vulgo creditur veræ contritionis signum.

Est mandatus humo sacra comitante caterva,
  Campanis, lituis, funereisque tubis.
In templi medio monumentum nactus ad aram;
  Qui vitæ finis sanctior esse potest?

40. Laus Leandri fœneratoris.

Ad sacros usus legat male parta Leander:
  Quod mundo eripuit reddidit ille Deo.

41. Laudatur ob fœcunditatem Caja. Ad Theodorum.

Agros sponte sua qui germina dant, Theodore!
  Magni nos facimus præferimusque satis.
Hinc liqueat, quantam laudem tua Caja meretur;
  Absenti gnatos nam parit illa tibi.

42. Aliud encomium viri cujusdum.

In te formando Di certavere Deæque,
  Nempe ut monstrarent egregium artis opus.
Distinxit frontem cultu Vulcanus amœno,
  Aptas formavit Mercuriusque manus.
Inque tui cerebri celsa sedet Æolus arce.
  Inferiora dedit membra venusta Venus.

43. Laus matronarum nostrarum. Ad Olum.

Matronæ nostræ sunt tanquam lilia campi;
  Nec filant, neque nent, et tamen, Ole, vigent.

44. Marci disputatoris Epitaphium.

Hoc jacet in tumulo Marcus dialecticus ingens,
  Dum vixit, fuit hac clarus in urbe pugil.
Vincere nam poteras, verum convincere numquam;
  Victas convictus non dedit ille manus.

45. Laus Anilonis.

Cum multis loquitur, cum paucis sentit Anilo;
  Sensum communem nunquam habuisse scio.

46. Sunt, qui etiam in ipsis vitiis et sordibus certum et constantem ordinem servant; hos epigrammate hoc ridet poëta.

Moribus et vita nihil est ornatius Afro:
  Ordine concinno tempora volvit enim.
Ordinat ille diem, momentaque, dirigit horas,
  Ut nihil in vita pulcrius esse putem.
Octava surgens hora jentacula poscit,
  Defixo solus multa movens animo,
Donec jucundus rursus sopor occupat artus,
  Haudque advertentis lumina fessa subit.
Discusso somno fumantes pultibus ollas
  Cernit dispositas, huc subitoque volat.
Omne, quod appositum est, vacuam demittit in alvum,
  Pratenses fungos, ostrea dente premens.
Postquam epulis compressa fames, petit ille quietem,
  Audet quam nemo rumpere voce sua.
Evigilans rursus tria cœnæ fercula cernit,
  Nam cœnat parce; sic medicina jubet.
Tandem cum famula post cœnam, ut tempora fallat,
  Ludit par impar, in tenebrisque micat.
Tali constanter volvuntur tempora gyro,
  Nil tali vita pulcrius esse puto.

47. Encomium nihili ad neminem.

Ex nihilo mundus factus; nihilo generatur,
  Quicquid præclari est, quicquid in orbe nitet.
Per nihilum summi vulgo acquiruntur honores,
  De nihilo docti maxima bella movent.
Tempus abit nihilo; ad nihilum res factaque tendunt.
  Hinc nihilum nihilo majus in orbe vides.

48. Panegyr. ad Virum Perillustrem et Generosum * *

— — — — —

— — — — —

49. *Ad Janum, cujus hortatu panegyrica hæc epigrammata scribere conatus est poëta.*

Haud aliter laudare queo; si spargere mixtim
  Laudes compellar, da mihi materiam.
Da claros virtute viros, Fabios, Cicerones,
  Da Curios, da te, da similemque tui.
Te miror, te laudo lubens. Pius es sine fuco,
  Doctus, doctorum liber at a vitiis.
Nullis mactaris titulis omnesque mereris;
  Virtute es sola clarus eaque nites.
Musarum proles, Musas nescire videris,
  Quos spargis radios ipse videre nequis.
O! si tot Jani quot sunt fatui ac male sani,
  Mutato calamo facta virosque canam.

Liber sextus.

1. In Theodorum.

Res agit innumeras, nullas peragit Theodorus;
Omnia enim sequitur, sed nihil assequitur.

2.

Quæstorem sumas, qui nec sit inops, nec avarus:
Nihil habet is, satis hic nihil habiturus erit.

3.

Causidicos tollas, si lites tollere gestis;
Cum medicis morbos Martia Roma fugat.

4.

Tu nihil turpe roges, facias nil turpe rogatus;
Foedus amicitiæ stringere ad ista nequit.

5. In uxorem Titi, nomine Minervam.

Uxorem culpas, quod sit nimis imperiosa;
Ista sed apparet vana querela mihi.
Nam thalami sociam duxisti sponte Minervam,
Qua nihil invita suscipit ullus homo*).

*) Prudens.

6.

Tristis læta cano, lascivus tristia scribis;
Consulis ingenio, consulo et ipse meo.

7.

Quæris, cur versus damno, qui sunt sine mendis?
Cur mendosa magis carmina culpo minus?
Pulchram cum nævo quam vulgarem sine nævo
Malo viri faciem; par ratio esto libri.

8.

Plebejas ducunt hodie cum dote puellas
Summa conspicui nobilitate viri.
Et sapienter agunt; steriles nam stercora campi
Exposcunt, cito ne funditus intereant.

9.

Si vita placide defunctum ploras amicum,
Neutiquam amicitia est, sed magis invidia.

10.

Quum binos gnatos Pontos, Mamerce, vocasti,
Verus si pater es, te voco Pontificem.

11.

Carnosum est, quicquid Faustino nascitur; inde
Verus si pater est, hunc voco Carnificem.

12.

Tres gnatos habuit Theodorus nomine Magnos;
Verus si pater est, hunc voco Magnificum.

13. In musicum quendam iracundum, qui uxorem fustibus ac nervis exanimavit.

Orpheus uxorem nervis repetivit ab Orco;
Mittit eo nervis Orpheus hicce suam.

14. In senem qvendam.

Te solum fecisse puto gnatum Theodorum;
Officio tunc par, robore erasqve valens.
Filio at in Magno sociis te viribus usum
Suspicor; hunc fructum nempe senecta tulit.
Si non fecisti Magnum, fecisse putamus
Magni aliqvid; satis hoc credimus esse seni.

15. Cur Anna Simoniam exercere dicitur.

Extincto, Anna, Simone, Simoni nubere gestis;
Ista Simoniæ crimina vera puto.

16.

Distat sæpe parum mendicus divite; namque
Mendicus vulgo somniat Afer opes.
Somniat at dives Faustinus tristia semper,
Angustosque lares, et sine luce focum.
Qvi distant igitur? fere fors æqualis utrique,
Iste die felix, nocte beatus at is.

17. In Flaccum.

Est nihil invita tentandum, Flacce, Minerva;
Hujus præcepti regula sancta tibi.
Aptus quando gulæ sis natus desidiæque,
Noctes atque dies, stertis, edisque, bibis.

18. Ad Annulonem.

Uxorem quare non ducimus, Annulo, quæris;
Alterius non sit, qui suus esse potest.

19.

Mittimus ad Musas, collegia docta juventam:
Non melior, quamvis doctior, inde redit.

20. Libertas quædam poetis concedenda.

Ni legum frenis solvatur sacra poësis,
Arescunt venæ, Musaque muta silet.

21. In Columbulam vulgo Dyvecke, Christ. II amasiam.

Inter aves plane innocuas numeranda columba;
Noxia at his regnis nostra Columbula erat.

22.

Immerito rides ignarum juris Amyntam;
Cæcus enim judex optimus esse solet.

23. De conventiculo quodam in horto suburbano, qvod interterdixit Censor urbis.

Vix ausi critici tot sanctos pellere coelo,
E Paradiso quot depulit iste*) simul.

*) Censor urbis.

24.

Quando senex juvenem ducit, nihil ipse operatur,
Ast alios stimulat, queis peragatur opus.
Ipse secandi exsors vice cotis fungitur; ac sic
Per socios faciet, quod facere ipse neqvit.

25.

Herculis innumeros prostravit clava tyrannos;
Clavibus at reges sternere Papa solet.

26.

Invidus es, laudes hinc te torquent aliorum.
Esse odio miror, quod simul ipse probas.

27. Nomen tam Simonis qvam Petri convenit Papæ.

Succedit Petro, sequitur sed Papa Simonem;
Recte ipitur Papæ nomen utrumque datur.

28. Epitaphium Theodori musici, qui ereptum sibi instrumentum musicum vindicans a raptore interficitur.

Conditur hac urna Martyr fidium Theodorus,
Pro fidibus quum sit mortuus intrepide!

Athletam talem cum Anglorum comparo rege,
Defensor fidium quum sit, ut ille fidei.

29.

Est nihil in terris, quod non venale videmus;
Venduntur nummis Sacra, honor atque fides.
Pontifices coelum, Poloni sceptra, coronas;
Ipsos se vendunt turpiter Helvetii.

30.

Numinis est cultus quidam in studio atque labore;
Assidue tu oras, plus tamen orat arans.

31.

Uxorem vult ille bonam, vult hic bona habentem.
Uxorem tu vis, quæ bona sit, bona habet.
Rara avis in terris; paucis continget in orbe
Ducere virtutem divitiasque simul.

32.

Invidus ut solos odit, quos æstimat, inde
Odisse ut pergas me, Theodore, precor.

33.

Æternum certant homines de relligione,
Quæ paucis cordi cernitur esse tamen.

34.

Officio nulli par Mamertinus habendus,
Quum temere cunctis se putet esse parem.
Nil non audet homo stultus, semper sibi fidit;
Ignorat rerum pondera, seque simul.

35.

Quos nequeas verbis hostes convincere, pugno
Atque manus palma vincere, Flacce, soles.

Argumenta adeo quoniam palmaria semper
  Profers, non tecum disputo, Flacce, lubens.

36. In Mammercum.

Temporibus certis quoniam, Mamerce, precaris,
  Quum campana sonat, seu levis hora monet,
Es non corde pius, sed consvetudine sola,
  Mechanicaque Deum relligione colis.

37. In Celerem.

Assidue peccas, Celer, assidueque precaris;
  Duc melius vitam, sive precare minus.

38. Querela et monitum amantis.

Me torques, Leonora, nimis te perdite amantem;
  Vita brevis, citius forma colorque perit.
Cur tempus differs? ætas tua cedere coget
  Mox aliis; cito fac quod, Leonora, velis.

39.

Romani satyras atque aspera dicta triumphis
  Junxerunt; factum non ratione caret.
Magnas fortunas satyræ comitantur acerbæ,
  Istud vectigal penditur invidiæ.

40. In mulierum patula semicinctia.

Corporis ut morbi sunt vestitus muliebres;
  Alternis vicibus membra caputque premunt.
Tot matrona caput struxit compagibus olim,
  A fronte ut major visa sit Andromache.
At nunc, dejecta turri, pygmæa videtur;
  A capite in coxas decidit ecce! malum.

Infra turgescit; ventrem tu ferre putares;
  Tunc nimis alta fuit, nunc spatiosa nimis.
Credo pudicitiam tot vallis cingere velle;
  At frustra; vallum transgredietur Amor.

41.

Ut vir trucidat gladio, sic fœmina fuco;
  Qvod telum gravius, dicere nemo potest.

42.

Ut sine spe prædæ crocodili conterit ova
  Solers Ichneumon passim, ubicunque videt,
Sic qvoque censores capitis tergique periclo
  Perversos homines pungere ubique solent.

43. Aliud in feminarum prominentia semicinctia.

Doctorum in cerebris terram variasse figuras
  Cernimus; hæc olim plana, rotunda fuit.
Mox oblonga eadem formam nanciscitur ovi,
  Nunc tumet æquator, tunc tumuere poli.
Fœmina sic oblonga modo, modo sidera tangens
  Circa æquatorem prominet, atque tumet.

44. Quodnam homini studium.

Ut contentus in hac vita, felixque futura
  Vivas, hoc studium sit tibi, sitque labor.

*45. Ridiculus atheorum zelus in propagando atheismo.
Ad Sextum.*

Est nimius zelus credentis, Sexte, notandus;
  Est athei zelus stultus et insipiens.
Ille animam ut servet, conatur perdere corpus;
  Allicit hic, tentat, pollicitando nihil.
Conversorem atheum lusori comparo, qui vel
  De nihilo ludens anxietate calet.

46. *Ad Magistrum * **

Doctum te credis, sed restant multa, Magister!
Quæ discas; longe meta laboris abest.
Qui montem scandit, lætatur culmine viso;
Terminat hoc visum, nil superesse putat.
Ast enixus eo rursus nova culmina cernit,
Vires ac nisus quæ renovare jubent.

47. *Ad Dextrum.*

Uxorem, Dexter, ducturus quæris, amoris
An lucri ratio maxime habenda tibi.
Gratum est conjugium, quod solo ineatur amore,
Quod lucri causa contrahis, utile erit.
Utile si lucrum grato jungatur amori,
Felix ac faustum sit tibi conjugium.

48.

Incultam mentem cum marmore comparo crudo,
Cujus virtutes, forma colorque, latent.
At limam si adhibes, grati variique colores,
Luminis illecebræ, quæ latuere, nitent.
Sic qvoque sola potest lima ac cultura latentes
Virtutes hominis reddere conspicuas.

49. *Ad Theodorum.*

Magnifice vivens id agis, magis ut videaris
Esse aliis felix, qvam, Theodore, sies.

50. *In amicum uxorem ducturum.*

Uxorem ducens stellato oculatior Argo,
Post ductam talpa cæcior, opto, sies.

51. *Monitum ad Cajam.*

Orandum ardenter sponso tibi Caja futuro,
Corpore ut in sano — — — sana siet.

52.

Quæris, qui servo parasitus distat egenus;
Is corpus, mentem vendit at iste suam.

53. *Ad Fabullum.*

Tu fremis et sudas, tu rerum mole laboras;
Multa facis, fateor, nempe superflua agens.
Urbis non premeris rebus, sed tu premis urbem;
Rem minimam quoniam multiplicare soles.
Res solidas tantum cura, sepone minutas;
Et longe propior meta laboris erit.
Nam recto gressu si pergeret ire viator,
Dimidio brevior terra, Fabulle, foret.

54.

Sacros præcones, qvi legis fulmina vibrant,
Semper et horrendos ore minante sonos,
Cum speculaturis promissam comparo terram,
Qui deterrebant vulgus ab introitu.
Qui verbis hominum moerentia pectora mulcent,
Mentem propitiam commemorando Dei,
Assimilo illis, qui dulces retulere racemos,
Quum cuperent alacres reddere ad introitum.

55. *In tristes illos, qui atram bilem cum religione confundunt.*

Lætitia atque quies non pugnant cum pietate,
Sed potius stimuli religionis erunt.

56. *Epitaphium viri celeberrimi Francisci Scoti.*

Franciscum Scotum tegit hic lapis. Est quoque totum.

57. Prosæ citius quam versibus succumbunt mulieres.

Dum tu carminibus pulcram oppugnas Leonoram,
Expugnat Flaccus commodiore via;
Nam prosa citius capiuntur in orbe puellæ,
Quam doctis numeris grandisonoque stylo.

58. Ad Amyntam.

Vitalis calor ut febrili distat, Amynta,
Sic socialis amor distat amore proci.

Liber septimus.

Epigrammata qvædam in historiam sacram.

1. *De creatione.*

Sextiduum Omnipotens rebus dat rite creandis;
Vult homo nullipotens condere cuncta simul.

2. *Aliud.*

Uno quum posset momento cuncta creare,
Tempora cur voluit sex adhibere Deus?
Intervalla docent rerum requiesque laborum:
Acturos homines ordine, quicquid agant.

3. *De creatione hominis.*

Majus opus mentes, quam corpora condere; Adamum
Inde Deus formans omne coronat opus.

4. *Fœminæ creatio viri præstantior.*

Fictus humo cruda vir, fœmina purificata;
Prodit e costa scilicet Eva viri.
Vilius ut mustum vino censetur adusto,
Fœmina nobilior sic sit habenda viro.

5. *Fœmina e latere viri desumta.*

Latro viri potius, quam fœmina jure vocanda est:
Nam latere, haud femine est Heva creata viri.

6. *Corporis ac animæ diversa origo.*

Terrenæ corpus, cælestis originis est mens;
Hæc redit in cælum, redditur illud humo.

7. *De fructu arboris prohibitæ.*

Ignotum est, an Adam decerpserit arbore ficum,
An potius malum; credo fuisse malum.

8. *Peccatum primi hominis.*

Arbore de vetita malum decerpsit Adamus,
Unde ad progeniem serpsit in orbe malum.
Fidite ne verbis homines! latet angvis in herbis,
Qui sub fœminea fallere voce potest.

9. *Status felicitatis brevis.*

Vix tridui spatio Paradiso mansit Adamus,
Integra sed terræ secula fossor erat.
Vix triduum faciunt felicia tempora nostra,
Albos si vitæ vis numerare dies.

10. *De serpente.*

Cur dubitant homines serpentibus esse venenum?
Unicus hic serpens omnia tabe necat.

11. *Aliud.*

Rhetor primus in orbe fuit serpens sinuosus;
Hinc tot Mæandros ars*) habet atque sinus.

*) Rhetorica.

12. *Serpens deceptor deceptus.*

Decipit Eva virum, serpens deceperat Evam,
Se propriis serpens decipit insidiis.
Monstrat pæna, homines deceptos desipuisse,
At deceptorem desipuisse magis.

13. Conjunctio primorum parentum in unam carnem. Paradoxon in arithmetica.

Unio ni constet, fit multiplicatio nulla;
  Primos hic numeros unio prima facit.
Tolluntur numeri, redduntur inania cuncta,
  Ex uno binum reddere*) quando cupis.

*) Per divortium.

14. De cæde Abelis.

Primum orbis bellum Moses docet esse duellum;
  Hinc veteres recte bella duella vocant.

15. Abel primus martyr.

Primus in orbe fuit, pietas quem perdidit, Abel,
  Quique ob virtutem sangvine tinxit humum.
Gratus erat cælo; perit isto crimine solo.
  Hei! quanti constat sæpius esse pium?

16. Major Atexandro Magno Cain.

Edere si strages quando est heroica virtus,
  Major Alexandro jure Cainus erit.
Annos ille decem Persas devicit et Indos,
  Quartam orbis partem sustulit iste simul.

17. De nota Caino impressa.

Notus fraterna cæde ac feritate Cainus,
  Notior impressa redditur hacce nota.
Sic quoque turpis homo titulos qui captat inanes,
  Turpior his signis redditur atque notis.

18. Epitaphium Adami.

Sanus eram natus; fieri dum sanior opto,
  Ægrotat mea mens, languida membra traho.
Non contentus eram nativis viribus; inde
  Sum numero illorum, quos medicina necat.

19. *Epitaphium Methusalæ.*

Nongentos annos vitam cum protraho, vidi,
Ut genus omne bŏni, sic genus omne mali.
Moribus antiquis si florida terra stetisset,
Tempora curta mihi, vita nimisque brevis.
At quia nascentem vidi mundum ac pereuntem,
Hei mihi! vita nimis longa gravisque fuit.

20. *De diluvio.*

Balnea quæruntur, cum squalent corpora sorde;
Orbis sic poscunt crimina diluvium.

21. *Aliud.*

Diluvies hæc pœna fuit, fuit et medicina:
Submersus mundus mundior exit aquis.

22. *De arca Noæ.*

Inconcussa stetit maris æstibus arca Noachi;
Orbis enim toto pondere fulta stetit.

23. *De emissa columba.*

Antiquam terram detexit missa columba,
Detectorque novæ nauta Columbus erat.

24. *Noachus alter Adam.*

Primus Adam nobis pater est, alterque Noachus;
Is terra genitus, nascitur alter aqua.

25. *In Noachum ebrium.*

Æstu evasit aquæ, vino jacet ecce! sepultus;
Tristior huic prima est altera diluvies.

26. *Hæreditas filiorum Noachi.*

Orbes non urbes hæredibus ille reliquit;
Totius terræ tradidit imperium.

27. Epitaphium Noachi.

Hic veterisque novique simul jacet incola mundi,
  Telluris genitor, filius Oceani.
Navigio solo totum tenuit mare; terris
  Edidit e parva regia jura casa.
Infimus est inter reges et maximus idem;
  Nam totam terram possidet, at vacuam.

28. Epitaphium uxoris Lothi.

Hic sto, non jaceo, sumque ipsa mei monumentum,
  Nemo mihi statuam ponat; en! ipsa ea sum.
Non tam salsa forem, minus hei! si insulsa fuissem;
  Insulse vixi, mors mea salsa fuit.

29. Metamorphosis ejusdem.

Nascitur omnis homo terra, in terramque revertit.
  Hic salis in cumulum fœmina versa fuit.

30. Aliud ejusdem Epitaphium.

Gloria si sit stando mori, mea splendida mors est;
  Namque ego stans morior, mortua stoque simul.

31. Obedientia Abrahami.

Cæce est parendum cæli jussis monitisque;
  Quod placet huic, justum est, quod libet, omne licet.
Dilecti cædem gnati Deus, ecce! parenti
  Mandat, spemque omnem perdere morte jubet.
Injusta hæc cædes visa et violatio pacti,
  Credenti at satis est, sic voluisse Deum.

32. Jus primogenituræ pro jusculo vendit Esau.

Jus pro jure suum Jacobo vendidit Esau:
  Actio utrique igitur jure ab utroque datur.
Contendunt fratres, jus juri opponit uterque;
  Hic scripto*), is cocto vincere jure putat.

*) Jure nativitatis, si non scripto attamen dictato et usitato.

33. *De jure rubro.*

Diversæ juris species numerantur in orbe,
Jus aliud vetus est, est aliudque novum;
Scriptum, non scriptum; proprium, communeque cunctis:
Rubro Jacobus jure peritus erat.

34. *Jacobus patiens procus.*

Annos bis septem socero cum servio, gnatam
Emptam non nuptam dicere jure queam.
Est meritum meruisse diu, sed tempore tanto
Uxori possis vir fieri emeritus.

35. *Jacobi querela adversus socerum.*

Servio pro Rachel, mihi das, Labane, sororem;
Hæc, ais, est potior, progeniesque prior.
Conjugii in pactis nihil æquivalentia prosunt;
Non volo, quod prius est, posco, volo, quod amo.

36. *Jacobi pugna cum Deo.*

Heroum merito fortissimus Israel audit;
Namque Deum lucta vicit, abivit ovans.
Audit Alexander Magnus, quia vicerat orbem;
Qui cælum potuit vincere, major erit.

37. *Epitaphium Jacobi.*

Tu lapide exiguo tectus, Jacobe, quiescis,
Dum tua progenies terram, ut arena, tegit.

38. *Dina ad fratres.*

Innocuam gentem, fratres, cur perditis? Ira
In me vertatur; noxia sola soror.
Ad juvenes virgo egrediens levis atque venusta*)
Sæpius inde gravis, cassa et onusta redit.
Exeo spectatum, spectanda sed ecce! revertor,
Et mala, quæ patior, suffero sponte mea.

*) Veneris stimulis agitata.

Discite clade mea Venerem cohibere, puellæ!
  Ut flos namque perit virginitatis honos.
Ignotis maribus non est excursio tuta,
  Quando levis ratis est, ac sine pondere eat.

39. Querela Josephi.

Est inter fratres concordia rara; meorum
  In me perdendo mens tamen una fuit.

40. De Josephi pudore.

Amplexus dominæ fugiens Josephus et auro
  Effulgens stratum purpureumque torum,
Trudi se patitur tenebrosum in carceris antrum,
  Atque ibi lætus, ovans, membra pudica locat.
Summum nempe nefas animam præferre pudori
  Credidit; omne malum maluit inde pati.
Salve igitur victor, domitorque libidinis! Ecquis
  Esse pudicitiæ martyr in orbe velit?
Ob Venerem multi patiuntur stigmata, flagra;
  Pauci ob virtutem flagra subire volunt.

41. Venditi Josephi exaltatio non minuit vendentium crimen.

Opprobrium, cædes, furtum, violatio pacti,
  Crimina sunt, quamvis defluat inde salus.
Germanum nisi vendiderat truculenta propago
  Jacobi, esset gens perdita tota fame;
Istud at haud cædis minuit nec venditionis
  Noxam: semper enim crimina crimina erunt.

42. De pistore et pincerna Pharaonis.

Truduntur pistor, pincerna in carceris antrum;
  Suspicor, impuras hos habuisse manus.
Ille crucem sceleris pretium tulit, alter honores:
  Non est semper idem, cum peragatur idem.

43. Moses expositus a filia Pharaonis servatur.

Cistula arundinea clausum Pharaonia proles
Aspicit, ac nanti porrigit ecce! manum.
Infantem servat, gentis servator ut esset.
Exit ab hoste salus, cor stimulante Deo.
Huncce diem Pharii celebrate! feracior ullo
Tempore vix magni fluminis unda fluit.
Hocce die solo Nilum sine crimine adores,
Ac cultum præstes, accola Niliace!

44. In duritiem Pharaonis.

Elicuit baculo Moses e rupe liquorem,
Flectere portentis te tamen ille nequit.
Serpentes, tenebræ, mors, pestis, fulmina cœli
Non valeant cordis frangere duritiem.
Ut rupes immota manes, quæ pendet in undis
Obvia ventorum viribus atque maris.
Nam tua sunt silicis circum præcordia venæ,
Et rigidum ferri semina pectus habet.
Sunt scapulæ scopuli, cor cos, adamasque perennis,
Quem resonans incus nulla domare potest.
Hinc undis Stygiis subigendum te tegat æquor,
Æterni stagni quod typus esto tibi.

45. Aliud de Pharaone.

Criminibus tantis pollutum balnea nulla
Expurgare queunt; toto opus esto mari.

46. In incredulos quosdam, qui miraculosum maris rubri transitum ad causas naturales retulerunt.

Quod mare sit fluidum, durus mons, lucidus ignis,
Solo dependet numinis arbitrio.
Ex nihilo formans cur rei nequeat dare formam?
Condere qui majus, cur nequit ille minus?
Si poterit figulus testæ variare figuras,
Cur non, argillæ conditor ipse, Deus?

Planities fiant montes, qvadrata rotunda,
  Ignis frigescat, præcipiente Deo.
Solventur rupes, mare stabit, stabit et amnis,
  Si jubeat rupis conditor atque maris.
Hinc adhibete fidem facto, miseri dubitantes!
  Aut nullum audacter dicite in orbe Deum.

47. De ingratitudine gentis Hebrææ erga Deum, maxime in deserto.

Urget quando fames, e cœlo decidit esca,
  Quando sitis, saxis eliciuntur aquæ.
Undæ finduntur, si flumina trajiciantur,
  Montes mollescunt, fit solidumque mare.
Sistit luna gradum, stat sol, stant sidera cœli,
  Ituris monstrant lucida signa viam.
Cognita temporibus nullis miracula fiunt:
  Vos portenta tamen nulla movere queunt.
Quid mage mirandum, cæli patientia constans,
  Gentis an ingratæ murmura perpetua?

48. Hymnus Mosis post transitum maris rubri.

Materia hæc tanto cantari digna poeta;
  Dignus erat vates materiaque simul.
Iliaco quantum major casus Pharaonis:
  Tantum Mæonio clarior Amramides.

49. Historia Mosis ænigmatica.

Ad mortem natus Moses fluvioque renatus
  Oppressis ultor gentibus, ecce! datur.
Ægyptum baculo domuit sine vi, sine classe
  Hostes devicit perdomuitque mari.
Terror erat cunctis populis, at rex sine regno,
  Legibus illustris, non tamen ipse dedit.
Promissam ad terram venit, hanc videt, haud tamen intrat;
  Monte obiit, nullo sed jacet ille loco.

50. Cur tot ceremonias in sacris instituit Deus.

Vestes auratas, pompas, altaria, templa
Ipsum miraris constituisse Deum.
Quid facit in sanctis aurum, quid aromata? quæris,
Pectore quando pio et farre litare potes.
Ingeniis hominum Numen se accomodat, unde
Aurum atque argentum, strataque marmorea,
Gemmæ splendentes et tinctæ murice vestes,
Concentus festi, cymbala, pompa, tubæ.
Ritus non faciunt, sola at devotio cultum:
Servatur cultus ritibus hisce tamen.

51. Exequiæ et sepultura Mosis.

Exequiæ fiunt Mosis digne, at sine pompa:
Nec tuba, nec calami, nec comitatus erat.
Ad tumulum pedibus tendit, sed condidit ille,
Qui cœlum et terram condidit, ipse Deus.

52. Monumentum Mosis.

Non lapis, at mons est magni herois monumentum.
Talis enim tanto digna erat urna viro.

53. Moses bis conditus.

Bis Deus hunc hominem condit, reliquos semel omnes:
Condit dans vitam, condit et exanimem.

54. Aliud de Mose.

Ægyptum domuit Cambyses agmine et armis;
At baculo Moses subjugat exiguo.

55. Mosais. Poëma heroicum.

Arma virumque cano, Phariis qui natus in oris
Ægyptum profugus patria*) Memphitica venit
Litora,**) multum ille et terra jactatus et amne
Vi fati sævique simul Pharaonis ob iram;

*) Terra Gosen, quæ hic distinguitur ab Ægypto. **) Pro ripis Nili.

Multa quoque et bello passus, dum condere gentem
Tentat, et in terram promissam ferre laborat.
Musa mihi memora, qua vi, mihi dic, quibus armis
Dives opum regio, studiisque asperrima belli
Ægyptus domita est, infractaque vis Pharaonis;
Qua vi nutarunt urbes, fluvii tremuerunt,
Concussa est tellus, maris æquora scissa fuerunt?
Res tot mirandæ, portenta ac facta stupenda
Non equitum turmis peditumque effecta catervis,
Non armis. Totum confecit agrestis arundo.

56. De Mose tabulas legis frangente.

Peccat, qui zelo peccat, sed crimine nullo:
  Errati veniam vindicat inde sibi.
Sancto sic frangens tabulas ardore Propheta
  Mandatur tantum condere rite novas.

57. Pœnam deprecatur Israël in cultu vituli aurei deprehensus. Ad Mosen.

Verbera commerui; sed vitæ parce, magister!
  Solis nam virgis culpa pianda levis.
Non gravis hæc noxa est; nuda est vitulatio, parce,
  Nec ferro puni crimina mixta joco.

58. Sententia Mosis.

Ferrea duraque gens ferro plectetur acuto;
  Barbati crimen cur puerile putem?
Una cum vitulo pereant vetuli vitulantes.
  Quando viri peccant, pœna virilis erit.

59. De asino Bileami.

Os aperit, loquitur Bileami cæsus asellus:
  Cur ferior? queritur, quæ mea culpa fuit?
Si jumenta loqui possent, has sæpe querelas
  In dominos vomerent, verbera quando sonant.

60. Josva Jordanem trajiciens.

Josua Jordanem fluvium transit pede sicco;
  Et tunc fit stagnum, quod modo flumen erat

61. Aliud de Josva.

Dum volitat victor per valles, flumina, montes;
  Suspenso cursu sidera fixa manent.

62. Palæstina devicta.

Ingreditur terram sanctam fortissimus Heros,
  Omnia ut horrendo fulminis igne petens.
Namque duci tanto quæ vis virtusque resistat?
  Cui parent tellus sidereique chori.
Sistit luna gradum, stat sol, stant agmina cœli,
  Ad fontes redeunt flumina, quando jubet.

63. Mœnia Jericho ad sonitum tubarum dejecta.

Ad citharam vatis*) sylvæ saltasse feruntur;
  Cornibus at Josvæ valla superba cadunt.
Illo quid fingi mage mirandum potuisset?
  Hoc fieri poterit quid mage mirificum?

*) Orphei.

64. Disputant critici, an meretrix, an vero hospita dicenda sit Rahab, cum vox Hebræa utrumque denotat.

Quod genus hæc vitæ sectata sit, haud patet; omne
  De populo constat promeruisse bonum.
Hospita sit, meretrix, civis: bene dico merentem;
  Ob meritum meretrix jure vocanda siet.

65. In mortem Sisseræ.

Musa mihi narra, qua dextra, dic, quibus armis
  Sissera dux magnus sternitur atque perit.
Non necat hunc gladius, non hasta manusque gigantis;
  Fœminea dextra malleoloque perit.

66. *Aliud.*

Fixo Romani signabant tempora clavo:*)
Distinxit Jaël tempora malleolo.

*) Electi sæpe fuere magistratus extraordinarii ad clavos parietibus templorum figendos, indeque tempora computabant.

67. *In Abimelechum, quem lapide molari percussit fœmina.*

Dura viri frons hæc, lapide et frangenda molari,
Cujus tot fratrum sangvine dextra madet.

68. *Aliud.*

Fragmento lapidis jacet hic cæsus, meruitque
His sterni telis, hacque perire manu.

69. *Querela Jephtes ad filiam.*

Comprime lætitiam, cessa canere arma virumque!
Hei! tuus aspectus me, mea gnata, necat.
Abjice nunc laurum, manibus cape, quæso, cupressum,
Ista meo statui convenit, ista tuo.
En redeo castris victor, victus, pater, hostis;
Hostem qui perdo, viscera perdo simul.
Læti victores soliti sunt currere ad aras;
Tristis ego, gnatæ sangvine nempe litans.

70. *In vocem Schibolet.*

Inter grammaticos censendus Jephta vetustos;
Flectere nam voces edocet ille rudes.
Nervo alii ac ferulis utuntur, is utitur ense:
Schibolet ob solum nam schola tota perit.

71. *De vulpibus Samsonis.*

Samsonis pressi nervis dextraque Philistæ,
Vulpina tentant arte domare virum;
Hinc vulpinandum cum vulpibus autumat ille:
Caudis vulpinis depopulatur agros.

72. *In Philistæos, qui ob fugam Samsonis portarum custodibus irascuntur.*

Curritur ad portas, ut vir fugiens retrahatur;
  Ast abiisse virum, portam et abesse vident.
Ad pœnam vigiles qui, stulti! poscere vultis,
  Jussos non portam, sed retinere virum?
Discedit quoties una cum carcere captus,
  Portæ in custodes actio nulla datur.

73. *Samson a Dalila subactus.*

Nexus vimineos ac ferrea vincula rumpens
  Vincior imbelli fœmineaque manu.
Sors hæc heroum vulgo est ac semideorum,
  Ut dent virgineis colla premenda jugis.
Exigui ut mures terrent subiguntque leones,
  Ut remoræ navem sistere sæpe solent,
Sic fuso atque colo muliebri vincitur heros;
  Solus magnanimum cor superabit amor.

74. *In Dalilam et Samsonem.*

Crinibus hunc calvum demessis reddidit uxor,
  Prodidit inde hosti prostituitque virum.
Crinibus et nostræ callent spoliare maritos,
  Cornua sed reddunt, calvitiemque tegunt.

75. *Epitaphium Samsonis.*

Obrutus hic jaceo cumulo lapidum atque virorum,
  Hebrææ gentis strenuus ille gigas.
Portas gestabam vivus, gero mortuus urbem;
  Ingentis populi pondere namque premor.
Dum vixi, gravis hostis eram flagrumque Philistis:
  Noxia vita fuit, mors mage noxia erat.
Hostilis regni mecum cadit integra moles:
  Impia gens omnis quo pereat, pereo.

76. Hebræi variis jugis pressi.

Perpetuo sub servitio Isacidæ gemuerunt;
Jam premit Ægyptus, jam premit Assyria.
Nunc Ammonitæ, nunc Madian atque Philistæ;
Nunc vitiis propriis natio tota subest.
Quæris, servitium fuerit quod maxime acerbum?
Veri hostes gentis crimina gentis erant.
Nunquam liberior fuit externis nisi vinclis:
Namque erat his vinclis libera criminibus.

77. Israel nunquam sanus nisi ægrotet.

Prospera te fortuna premit, facit, Israel! ægrum:
Sanus eris, quoties pressus et æger eris.

78. De Saulo rege.

Sæpe assem quærens thesaurum repperit amplum.
Saul quærens asinos repperit imperium.

79. Aliud.

Errores Sauli non miror sceptra tenentis;
Errantem populus sceptra tenere jubet.

80. Epitaphium Goliathi.

Sternere quem nequeunt nec tela nec hosticus ensis,
Pastoris juvenis rustica funda necat.
Perfricta totam gentem qui fronte lacesso,
Perfracta (misero væ mihi!) fronte cado.
Frontis crimen erat, frons est mea stigmate inusta,
Parteque qua pecco corporis, ecce! luo.
Quis jacet hoc campo, si quæras forte viator,
Fractæ est, perfrictæ frontis homo Goliath.

81. Aliud.

Ictu lethali periit plagaque lapilli
Immanis Goliath, quem tegit iste lapis.

82. Querela Davidis adversus Saulum persecutorem.

Perstas, rex, odio, nec iniqua finis in ira est:
  Hei! mihi, quid merui? quæ mea noxa fuit?
Vulnera curavi mentis, mea viscera, pectus
  Pro regno opposui proque salute tua.
At taceam benefacta; nocent mihi commemoranti,
  Forsan et ista augent iram odiumque fovent;
Nam devinciri rex non vult inferiori;
  Hinc benefacta odium sæpe ciere solent.

83. Psalmorum Davidicorum et sacræ poëseos excellentia.

Humanæ quantum præstet divina poësis,
  Indicat objectum materiæque decus:
Arma, viros canit illa, iras, odia improba, amores;
  Laudibus hæc effert facta stupenda Dei.
Cantibus in sacris finduntur marmora ponti,
  Ad fontes redeunt flumina cærulea.
Exultant colles, montes ut cera liqvescunt,
  Stat cœlum immotum, terraqve muta stupet.
Numinis ad visum rerum natura movetur,
  Atque Dei laudes tetrica saxa sonant.
His modo si confers heroica carmina Homeri,
  Hymnos Hesiodi, Romuleumque decus:
Constabit, quantum distant solida æra lupinis;
  Utra poësis erit Pallade digna magis.

84. In mortem Absalonis.

Votorum compos sum factus, tollor in altum,
  Pendeo sublimis, sceptra paterna petens.
Mors mihi communis cum Samsone; utrumque capilli
  Perdebant; minus at mors mea clara fuit.
Nam majus scelus, an dementia bella movere
  Et regi et patri, dicere nemo potest.
Hinc mihi cum nullum fuerit caput, ecce capillis
  Do meritas pœnas stultitiamque luo.

85. Aliud.

Qui modo deliciæ, laquei sunt ecce capilli;
Stultitiæ ac sceleris crimina crine luo.

86. Aliud.

Quercus ferre solet glandem, jam fert nebulonem;
Est nulla in sylvis hac mage fructifera.

87. Cur gravius plectitur David censum populi agens, quam cædem ac adulterium committens.

Implorat veniam David, veniamque reportat,
Quamvis convictus cædis, adulterii;
At minus ob crimen, quale est numeratio gentis,
Leniri precibus numinis ira nequit.
Disparitas istæc monstrat, quod crimine nullo
Elatæ mentis sit tumor inferior.

88. Pœna Davidis ob censum populi habitum.

Ob noxam regis cur plebs det sangvine pœnas?
Plectuntur tergo crimina facta manu.

89. In Joab percussorem Abneri.

Ancipitem cultrum dextra fers, ore salutem,
Ac salvere jubes, perdere quando cupis.
Est jugulare istud civiliter ac peramice,
Et methodo urbana tingere cæde manus.
Sedula posteritas mire hac profecit in arte.
Exercet, patrat cultius omne malum.

90. Aliud.

Obtruncare rudi docuit nos Marte Cainus,
Artem cædendi sed docet iste Joab.

91. Templi ædificatio.

Exsurgit magni cura regis Salomonis
Nobilis et vasta condita mole domus.

Candet ebur passim, collucent omnia gemmis,
  Auratis signis, marmore strata nitent.
Atria stant celsis spatiosa innixa columnis,
  Sumptus commendant artificesque manus.
At mage commendant divina oracula et istud,
  Quod sit perpetuum numinis hospitium.

92. Lis inter duas mulieres a Salomone dijudicata. I. mulieris actio.

Iri divisum censes justissime regum!
  Quod pars neutra suum jure probare queat.
Dimidio contenta abeo; fac, divide prolem,
  Et justi nomen judicis accipies.

93. Actio II. mulieris.

Aut nihil, aut totum da, rex! divisio quævis
  Omni jactura tristior esto mihi.
Dando nihil serves, partem sed dando, necabis.
  Litem ni perdam, perdar et inteream.
Da nihil aut totum! totam mihi perdere causam
  Præstat, quam causæ vincere dimidium.

94. Sententia judicis.

Funere quæ prolis vult vincere, victa recedat!
  Vincat quæ vinci prolis amore cupit!
Quæ vult dimidium, non hanc ego judico matrem,
  Matrem credo, cui perdita causa placet.

95. Salomonis et Rhoboami regimen.

Hic scutica punit populum, ferit ille flagello,
  Gens hinc impatiens calcitrat, arma capit.
Intensus nimium nervus disrumpitur arcu;
  In binas partes scinditur inde status.

96. *Comparatio inter Manassem et Salomonem.*

Debuit is nunquam nasci, seu vivere semper,
Debuit hic nasci, at morte perire cita.
Iste diu vixit sapiens, sed stultus obivit;
Ille diu vixit stultus, obit sapiens.
Si vis rite mori, si rectam vivere vitam,
Hunc juvenem, sed eum stricte imitere senem.

97. *In Zedechiam, quem oculis orbatum abducunt Babylonii.*

Lumine non privor; mihi lumina nulla fuerunt.
Integra quando mihi lumina, cæcus eram.

98. *Aliud in eundem.*

Aures ni clausæ, non lumina cassa fuissent;
Nunc surdus, cæcus sentio, cerno nimis.
Sentio jam, verum mihi prædixisse prophetas;
Quod fuerim cæcus, væ mihi! cerno simul.

99. *De propheta Elia a corvis nutrito.*

Sæpe ipsos sanctos fortuna tenaciter urget,
Innumerisque malis sors onerosa premit.
Non cessant sperare tamen, sua vota foventes,
Afflictisque Deus porrigit inde manum.
Si fugiunt homines, adsint ursi atque leones,
Ubera det tigris, prandia prædo ferat.
Afflictum vatem corvi pavere ministri;
Utitur his famulis sæpe, premente fame;
Vivere quique solent ex rapto, prandia præbent;
Quod non dant homines, bruta feræque dabunt.

100. *De vidua in Sarepta.*

Quamvis nil mihi sit, satis est, mihi suffiicit omne;
Amphora parva mea est, non vacuanda tamen.
Ditior hinc sum vase meo ditissimo avaro,
Hujus enim fieri plena crumena nequit.

101. In servum Elisæi, qui illicita munuscula poscens, lepra corripitur.

Aufers, quando petis munuscula, avare minister!
Præmia cum pœnis et mala mixta bonis.
Ecce redis manibus plenis auro scabieque;
Quam præstat vacua sæpe redire manu!
Sordidus egressus tu sordidior rediisti,
Corporis ante luem mens scabiosa fuit.
At quot leprosi servi famulique darentur,
Si cunctis similis pœna statuta foret.

102. Cadaver in tumulum Elisæi delapsum vitæ redditur.

Terra mihi vera est mater nutrixque benigna,
Reddor enim vitæ, mox ubi condor humo.
Quod solet esse aliis mortis signum, est mihi vitæ,
Carcer libertas, sunt tenebræque dies.
Elidit vivis vitam, mihi reddit at antrum,
Ac mea membra domus sordida vivificat.
Ecquæ tam subito creverunt semina terra?
Cum cado, sto subito, cum seror, exorior.

103. De propheta Jona in mare projecto.

Naufragium quoties tempestas atra minatur,
Omne quod est oneri de rate projicitur.
Sic servata fuit, fureret cum sæva procella,
Jonæ peccatis exonerata ratis.

104. In balænam Jonam deglutientem.

Historiæ monstrant animantia bruta locuta
Voceque fatidica præmonuisse malum.
En tibi balænam portantem ventre prophetam;
Si non vaticinans, est ea vatigerens.
Vaticino quædam*) si fundunt carmine fata,
Hæc ipsos vates evomit ore suo.

*) Bruta.

105. *Propheta et historicus.*

Officium vatis cum sit narrare futura,
Historici officium est pandere præterita.
Is prædicit, at hic dicit; docet unus et alter,
Quæ vitanda homini, quæ facienda sient.

106. *De propheta Daniele.*

Scribentis tempus spectans agnosco prophetam,
Scripta virique legens conspicor historicum.

107. *Templi Hierosolymitani destructio.*

Omnia terrificis volvit natura ruinis,
Et spicæ, segetes sunt, ubi Troja fuit.
Hic ubi saxorum cinerumque tueris acervum,
Decantata stetit regia et ampla domus;
Nidificare vides angues corvosque ferasque,
Nuper ubi summi numinis hospitium.
Quodque teris pedibus, penetralia sancta fuerunt,
Tangere quæ potuit non nisi sacra manus.
Debuit at templo tunc cedere spirituali,
Ut debent umbræ cedere corporibus.

108. *De hymno trium virorum in calida fornace.*

Flammarum in medio juvenum stat triga animosa,
Et liquidum fundit dulceque ab ore melos.
Corpora tuta manent, calida fornace tepescunt,
Solaque mens fervet, vena virisque calet.
Ut digne cantent vates, opus esto calore,
Heic calor est, venas qui stimulare potest.
Nam dare quos stimulos terrestris non valet ignis,
Cælestis præbet flamma, animosque movet.

109. *Casus Nabocodonosoris.*

Assyrii regis lapsu quid tristius umquam,
Ac simul hoc casu quid fuit utilius?

Qui nuper totum fere viribus occupat orbem,
Ore legit, carpit gramina pronus humo.
Inter quadrupedes verum dum gramina pascit,
Mens redit, ac noscit seque Deumque suum.
Purpura quem reddit, quem culta palatia brutum,
Mansuetum fieri bruta feræque docent.

110. Rex sub dio jacens herbis crudis pascitur.

En! quanta est virtus, quantum medicamen in herbis,
Aut quanta in tristi sorte sit utilitas.
Ille dapes inter lautas fera fit furiosa,
Cumque feris pascens gramina, rursus homo.

111. Aliud.

Doctis quæ præcepta scholis non rite docentur,
Rex didicit sylva et saltibus horrificis.
Sylva Academia erat, docuit quæ Γνῶθι σεαυτόν.
Rebus in adversis notitia ista venit.

112. Comparatio inter Danielem et Samsonem.

Balthazar ac Samson domitores ambo leonum:
Hic manibus, visu sed domat ille feras.

113. Epitaphium adulterorum Susannam falso accusantium.

Saxorum cumulo hoc viso, lætare viator!
Atra calumnia enim rite sepulta jacet.
Biga senum meret has pœnas, meret hoc monumentum;
Non lapis, at lapides ossa scelesta tegant.
Tota urbs conspiret, cuncti lapides moveantur,
Ut pereat falsus testis, adulter atrox.

114. In Holophernem, ducem sine capite et corde.

Amplius Assyrium nolite timere gigantem,
  Excors nuper erat, nunc jacet acephalus.
Et corde et cerebro privat Juditha tyrannum;
  Cor dat sponte suum: vi rapit illa caput.

115. Comparatio inter Mosem et Esdram.

Legibus is gentem format, mox iste reformat;
  Constituit priscus, restituitque novus.

116. De Juda Macchabæo.

Sola duces alios commendant arma, sed iste
  Nobilis est armis et pietate simul.
Herois titulum solus nam rite meretur,
  Qui tantum pugnat pro patria atque sacris.

117. Epitaphium ejusdem.

Hic, dum vixit, erat terror flagrumque Syrorum,
  Nomine quos solo territat atque fugat.
Si numeras annos, decessit flore juventæ:
  Si numeras palmas, credis obisse senem.

118. Comparatio inter Judam Patriarcham et Asmonæum.

Autor gentis erat Judas, Judas reparator;
  Ille dedit nomen, reddidit iste decus.

119. Conversus Judæus.

Obscœnus cum sis, quid circumcisio prodest?
  De cute peccati decute triste jugum.
Mersus aqua quod sis, non es conversus, Apella!
  Lotio cor luteum purificare nequit.

120. Causa perpetuæ calamitatis Judæorum.

Ob spretum numen, propter dominum crucifixum
  Gens patitur sævas perpetuasque cruces.

121. *Compendium historiæ Judaicæ.*

Annales mundi repetas longeque rovolvas,
  Nil genti Hebrææ consimile invenies.
Natio nulla fuit fatis æqualis et annis,
  Nulla magis sapiens, nec magis insipiens.
Nulla magis felix, et nulla magis miseranda,
  Nulla obscura magis, nullaque nobilior.
Exemplar sortis præbet gravis atque benignæ,
  Inque vices regnant impietas, pietas.
Nunc fortis, bellax gens est, nunc deses inersqu,
  Multis hinc populis imperat atque subest.
Divinæ exemplum dat justitiæ, dat amoris,
  Cernitur in cumulo numinis ira, favor.
Scriptores populi sunt vates atque Prophetæ,
  Gentis gesta notant atque gerenda docent.
Scilicet actorum gnari, gnarique futuri
  Non nisi mira notant, plenaque prodigiis.
Virtutumque vides exempla, vides vitiorum,
  Omnia in extremo, nil mediocre legas.
Tandem peccatis propriis oppressa, jugoque
  Externi populi subdita, moesta gemit.
Spes superest miseræ Davidis stirpe Propheta
  Venturus, per quem certa paranda salus.
Venit promissus: venientem vidit et odit,
  Et cruce suspensum conterit opprobriis.
Hinc tot res miseræ, clades, cumulique malorum,
  Hinc totam gentem res onerosa premit.
Jam bellum bellique parens discordia tetra
  Omnia commiscent, parturiuntque minas.
Urgent hinc hostes, hinc cives his graviores
  Inter se ruptis legibus arma ferunt.
Hoste ab utroque diu vexata urbs perditur alma;
  Quod ferrum fugit, id torrida flamma vorat.
Vitantes hostem rapidos volvuntur in ignes,
  In mediis flammis ne pereant, pereunt.

Portio, quæ superest, errat dispersa per orbem,
  Obruta curarum fluctibus innumeris.
Conspirant gentes in relliquias miserorum,
  Vivere nec licitum, nec licet hisce mori.
Ut testis semper veræ sit relligionis,
  Non moritur gens hæc, sed moribunda manet.
Discite mortales! quam certa sit ultio cæli;
  Nam venit, ut lento, numinis ira, gradu.
Discite justitiam moniti et non temnere Divos!
  Ante oculos semper sacra stet historia.
Hæc facienda monet, monstrat quæ sunt fugienda,
  Quæ speranda docet, quæ metuenda notat.

Trykfeil og Rettelser.

Pag. 5 Ep. 27 L. 1 the, l. te.
— 10 - 58 Overskr. republicæ, l. reipublicæ.
— 12 L. 1 f. n. augit, l. auget.
— 62 Ep. 145. Overskr. actem, l. factum.
— 77 - 40 L. 5 mulsam, l. mulsum.
— 83 - 71. Overskr. Epithaphium, l. Epitophium.
— 91 - 107 L. 5 illa, l. illæ.
— 94 - 128 L. 2 ets, l. est.
L. 1 f. n. Stoicoum, l. Stoicorum.
— 95 L. 1 Apophthegmato, l. Apophthegmata.
— 98 L. 1 otim, l. olim.
— 104 Ep. 43. Overskr. Epithaphiorum, l. Epitophiorum.
— 104 - 46 L. 2 Hand, l. Haud.
— 121 - 135 L. 1 Sultus, l. Stultus.